revelatá, & ut Fide Divina credenda. Sicut enim ut lex, aut mandatum Regis obliget ſubditos ad ejus obſervantiam, non ſufficit, ut ſit a Rege latum, ſed requiritur, ut ſit omnibus propoſitum, & intimatum publica forma, ut ſic voluntas Regis omnibus certo ſit nota: Ita, ut præceptum de credendo aliquid, ut a Deo revelatum, obliget omnes, debet omnibus proponi, & intimari, illud eſſe a Deo dictum, ut nemo de hoc dubitare queat: Atqui hanc certitudinem habere non poſſumus, niſi per Eccleſiam Catholicam nobis proponentem veritatem illam, ut a Deo revelatam, & ita eſſe affirmantem; Cum enim Deum per ſe ipſum id non faciat, non enim loquitur immediate nobis, ſicut olim loquebatur Patriarchis, Prophetis, & Apoſtolis, nobis aliud teſtimonium irrefragabile non ſupereſt in re dubia, præter dictam Eccleſiæ Catholicæ, cujus judicium in diſcernendo Dei Verbo ab omnibus vere fidelibus ut irrefragabile habitum ſemper fuit; eſt enim, teſte Paulo 1. *Timoth.* 3. *v.* 4. *Columna, & firmamentum veritatis*, & de qua ſola dixit Chriſtus *Matth.* 16. *v.* 18. *& portæ inferi non prævalebunt, adverſus eam*: & rurſus *cap.* 18. *v.* 17. *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus, & Publicanus.* Hinc celebris D. Auguſtini ſententia lib. contra Epiſtolam fundamenti cap. 5. *Ego vero Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas*; & lib. 4. de Baptiſmo contra Donatiſtas cap. 16. Statutis duobus hominibus, qui verſantur in errore Photini, quorum unus ſciat, errorem illum eſſe contra fidem, & ab Eccleſia damnatum; alter vero exiſtimet, dogma Photini eſſe Catholicam Fidem, ait: *Iſtum nondum hæreticum dico, niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ Fidei reſiſtere maluerit, & illud quod tenebat elegerit .... Itaque in hoc, ſola falſa opinio, in illo autem, etiam diviſio corrigenda eſt.*

IV. Confirmatur: cum, ut ſupra dixi non omnia, quæ in Verbo Dei continentur, ſint expreſſe, & clare revelata, ſed aliqua implicite, & perobſcure; ut teneamur ea credere, dari debet Doctor infallibilis, qui ea explicet, atque revelata a non revelatis ſecernat, ne, ut ait Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 14. *ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia, ad circumventionem erroris*: alias Deus defuiſſet Eccleſiæ in neceſſariis: hic autem Doctor, cui infallibilitas in Verbo Dei explicando promiſſa ſit, alius eſſe nequit, quam Eccleſia; ergo &c. Maj. patet exemplo hæreticorum Eccleſiæ magiſterium rejicientium, ſoloque ſpiritu privato (ut ajunt) regi volentium; hi enim quot in Sectas, & errores diviſi ſunt, teſtis pro omnibus una ſit Anglia, in qua fere tot Sectæ dominantur, quot familiæ, ne dicam, quot capita.

V. Sed inſtabis contr. prim. aſſertum. Qui veritatem aliquam in Scriptura revelatam negaret, eo ipſo hæreticus eſſet; ergo eo ipſo, quod aliquid in Scriptura revelatum ſit, abſque ulla Eccleſiæ propoſitione eſt de fide tenendum.

Reſpondeo primo, nego antec. cum D. Auguſtino nuper relato *lib.* 4. *de Baptiſmo cap.* 16. qui non audet pronunciare hæreticum, qui ſequeretur errorem Photini, *niſi manifeſtata ſibi doctrina Catholicæ Veritatis reſiſtere maluerit*, & qui *lib. cont. Epiſt. fundam. cap.* 5. dicit, ſe non crediturum Evangelio, niſi Eccleſiæ Catholicæ eum commoveret auctoritas. Quod adeo verum eſt, ut ideo Evangeliis Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis credamus: & e contra non credamus Evangeliis Petri, Andreæ, Bartholomæi, & Thomæ, quia ad hoc nos commovet Eccleſiæ Catholicæ auctoritas proponentis, ut Dei Verbum illa, iſta vero reprobantis.

VI. Reſpondeo ſecundo diſt. antec. ſi haberet animum permanendi in ſuo errore, quamvis Catholica Eccleſia contrarium illi manifeſtaret; concedo, anteced. ſi abſque tali animo illud negaret, nego antec. Reſponſio eſt D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 11. *art.* 2. *ad* 3. citantis D. Auguſt. *Epiſt.* 16. *ſi qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, quærunt autem tota ſolicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam ſunt inter hæreticos deputandi*. Hucuſque Auguſtinus, *quia ſcilicet* (ſubjungit D. Thom.) *non habent electionem contradicentem Eccleſiæ Doctrinæ.*

VII. Objicies contr. ſecundum aſſertum. Eccleſia non poteſt facere de fide, quod de fide non eſt: ergo eſſe aliquid fide tenendum non dependet ab Eccleſia, ſed unice a divina revelatione.

Reſpondeo diſting. conſequens: non dependet ab Eccleſia, ut a cauſa faciente, ut ſit de fide, conc. conſeq. ut a ſigno oſtendente, illud eſſe de fide, & habendum ut tale, nego conſequentiam. Sicut ſigillum non facit, diploma eſſe Regia manu exaratum, vel Regio verbo dictatum, ſed ſolùm eſt ſignum oſtendens, & teſtificans, illud eſſe a Rege ſcriptum, aut dictatum: ita Eccleſia ſuo judicio non facit, aliquod eſſe dictatum, aut revelatum a Deo, ſed eſt ſignum teſtificans, illud eſſe a Deo revelatum, quod antea ut tale non habebatur. Hinc ait D. Thom. 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 7. quod licet plura expreſſe credantur a nobis, quæ ab antiquis non credebantur, attamen articuli fidei non creverunt quantum ad ſubſtantiam, *ſed quantum ad explicationem crevit numerus articulorum, quia quædam explicite cognita ſunt a poſterioribus, quæ a prioribus non cognoſcebantur explicite.*

Propterea neque ſequitur, fore hæreticum, non qui reſiſtit Dei Verbo, ſed qui reſiſtit Eccleſiæ judicio. Non inquam, nam qui reſiſtit Eccleſiæ judicio, ideo hæreticus eſt, quia reſiſtens Eccleſiæ judicio, reſiſtit Dei Verbo, Eccleſiæ judicium commendanti *Matth.* 28. *verſ.* 17. *qui Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.*

VIII. Sed urgebis palmarem hæreticorum inſtantiam: Si credendum Scripturæ propter Eccleſiam, & rurſum credendum Eccleſiæ propter Scripturam, volvetur circulo vitioſo fides noſtra.

Reſpondetur negando antecedens: Circulatio enim, quæ ut argumentationis vitium ponitur a Dialecticis, tunc contingit, quando unum probatur per aliud, & viciſſim, in eodem genere cauſæ; non vero quando contingit in diverſo cauſæ genere, ſicut in præſenti. Credimus enim Eccleſiæ propter Scripturam, ly *propter* dicente cauſam a priori, cur Eccleſiæ credamus: Credimus autem Scripturæ propter Eccleſiam, ly *propter* dicente ſignum a poſteriori oſtenſivum, quia ſi Eccleſia dicit, hoc eſſe revelatum, ſignum eſt, hoc eſſe revelatum, idcoque ut tale credendum.

Addo: quod ſicut nullum eſt vitium, quod duo teſtes, vel duo Prophetæ ſeſe mutuo oſtendant, & commendent, ſicut Chriſtus oſtendit, & commendat Joannem, & Joannes oſtendit, & commendat Chriſtum; ita vitium non eſt, quod credamus Eccleſiæ propter commendationem Scripturæ, & Scripturæ propter teſtimonium Eccleſiæ; verum enim utriuſque teſtimonium eſt, & utrumque a Deo venit.

IX. Peto demum ab adverſariis: Quare credunt, Evangelium, quod præfert nomen S. Matthæi, eſſe revera S. Matthæi, alioſque Sacræ Scripturæ libros eſſe Divinam Scripturam? Reſpondebunt, quia Eccleſia Catholica illos ſemper judicavit tales. Peto rurſus: quare credunt judicium Eccleſiæ hac in re eſſe certum? non aliter reſpondere poterunt, niſi, quia illud eſſe tale atteſtatur Scriptura. Ecce ergo & ipſi credunt Scripturæ propter Eccleſiam, & rurſum Eccleſiæ propter Scripturam. Fortius. Peto a Theologo Proteſtante: quare credis, ſenſum, quem Sacræ Scripturæ affingis, eſſe verum, legitimum, & a Spiritu Sancto inventum? Reſpondebis: quia Spiritus privatus, qui cuique fideli præſto eſt, ita dijudicat, & mihi dictat. Iterum peto. Quare credis, hunc ſpiritum tibi adeſſe, & certo dijudicare? Reſpondebis: quia Scriptura hoc mihi atteſtatur. En ergo tu credis ſcripturæ propter ſpiritum privatum, & rurſus ſpiritui privato propter Scripturam.

§. II.

Quibus notis dogma fidei diſcernatur.

X. Reſpondetur. Aliquid dogma fidei dici poteſt, vel immediate, quia nimirum in Verbo Dei ſcripto, vel tradito continetur; vel mediate, quia ex Verbo Dei hujuſmodi neceſſario infertur, & colligitur; tale enim genus concluſionem, quæ cum rebus fidei neceſſario colligantur, ſaltem mediate ad fidem pertinere dicendum eſt: Cum hæc ſit natura connexorum, ut ſi ſuperius conceſſeris, concedas & inferius neceſſe ſit: in bona enim conſequentia non poteſt dari antecedens verum, & conſequens falſum: etſi negaveris inferius illatum, ſuperius etiam, ex quo infertur, negare cogeris.

XI. Ex iis, quæ in Verbo Dei continentur, aliqua continentur adeo clare, ut de iis nemo ſanus dubitare queat, neque de ſenſu Sacræ Scripturæ ambigere. Alia vero, eſto in Scriptura ſint, ea tamen non ita aperta, quin de ſenſu Scripturæ dubitari poſſit. Inſuper ex iis, quæ ex principiis fidei naſcuntur, alia ſunt, quæ ex ſolis principiis fidei inferuntur, alia, ad quæ inferenda non fides ſola ſine externarum diſciplinarum adjutorio concurrit, ſed aſcitis, aut uno principio, aut pluribus lumine naturæ cognitis; & hæc, licet non eodem gradu, ad fidem tamen ſpectare dicenda ſunt, quaſi fidei appendices, nec ita adhærent fidei, ut ſine illis fides omnino ſtare non poſſit; quare ſi quis in illis errat, ægrotare facit fidem, non perire his ſtantibus, quæ notat Melch. Cano *loc. Theol. lib.* 12. *cap.* 6.

XII. Quantum ad ea, quæ in Verbo Dei ſcripto, vel tradito adeo clare, & perſpicue continentur, ut a nullo, niſi negante Sacræ Scripturæ auctoritatem, negari poſſint, aut de vero Scripturæ ſenſu dubitari, ut ſunt Chriſti Nativitas, Paſſio, Mors, Reſurrectio, Aſcenſus in Cælum, cæteraque in Symbolo Apoſtolorum contenta, nulla regula præſcribenda eſt, cum per ſe pateat, immediate fidem, imo ad fidei fundamenta pertinere. Quantum vero ad alia,

XIII. Dico primo. Cum Scripturæ Divinæ ſenſus fuerit obſcurus, ille ſenſus, quem ei Catholica Eccleſia dederit, & præfixerit, habendus erit ut germanus, ac legitimus ſenſus Scripturæ, & ex iſto concluſiones ſuas poterit Theologus certo deducere. Conſtat ex dictis §. præcedenti. Si enim Eccleſia Catholica habet certiſſimum jus decernendi Verbum Dei a verbis hominum: ſeparando libros divinos a non divinis, habebit quoque idem jus, ut in Verbo Dei, ſeparet, & diſcernat ſenſum Dei a ſenſu hominum; ne dicamus Eccleſiæ conceſſam fuiſſe Scripturam, ut olim Ptolomeo Regi Ægypti, vel ut nunc Hebræi, qui habent verba, non ſenſum; unde *Scriniarii* Sacrorum Codicum lepide vocantur ab Auguſtino *lib.* 12. *contra Fauſtum cap.* 23. *Capſarii*, *in Pſalm.* 40. *n.* 14. *& librarii*, unde *in Pſalm.* 56. *num.* 9. *Codicem, inquit, portat Judæus, unde credat Chriſtianus. Librarii noſtri facti ſunt, quomodo ſolent ſervi poſt dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant* Vel ut hæreticis, qui verba Scripturæ habent, eaque jactant, ſed non ſenſum, dicente D. Hieronomo in *cap.* 1. *ad Galat. nec putemus, in verbis Scripturarum eſſe Evangelium, ſed in ſenſu: non in ſuperficie, ſed in medulla, non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis*. Ambas igitur res Chriſti Eccleſia cuſtodit, ſemperque cuſtodiet, & verbum, & ſpiritum verbi, ſpiritum, inquam, veritatis promiſſum a Chriſto, *Joan.* 14. *verſ.* 16. *&* 17. qui ſuggerat illi omnia, qui doceat illam omnem veritatem, & cum illa maneat in æternum, quo aperiatur illi ſenſus, ut intelligat Scripturas. Neque enim præfata verba ad Apoſtolos ſolos dixit Chriſtus, ſed in Apoſtolis toti Eccleſiæ, ut ſcilicet ſpiritus ex Apoſtolis tranſiret ad Eccleſiam, quam propagabant. Quod ſi ſpiritus iſte certus intelligendi

Scri-

Scripturas datus Apoſtolis ad Eccleſiam non tranſivit, ſi nullus modo eſt certus Judex de vero ſenſu Scripturarum, quænam forma Reipublicæ ſtultior eſſet? Nullus enim diſſidiorum finis, nulla eſſet ineundæ concordiæ via, nullus fidelium conſenſus, nulla fidei unitas. Rurſus ſi Apoſtoli, non ſenſum Evangelicæ doctrinæ, ſed verba tantum tradidiſſent, quomodo docuiſſent omnes gentes ſervare quæcumque fuerant illis a Chriſto Domino commendata? Qualis enim Evangelii prædicatio, qualiſve Doctrina abſque intelligentia? qualis certe puerorum, aut pſittacorum eſt, qui ſine mente dant, accipiuntque ſonum. Ergo Apoſtoli verum Evangelii ſenſum tradiderunt. At Apoſtolicæ traditionis teſtis, & cuſtos nemo fidelior eſt, quam Eccleſia: ergo &c.

XIV. Dico ſecundo. Eccleſiæ Catholicæ nomine, non modo fidelium omnium cœtus, verum etiam, & præcipue, veniunt Eccleſiæ Paſtores, & Doctores in Concilio congregati. Aſſertio hæc ſuo loco probabitur, dum oſtendetur Concilium Œcumenicum in definitionibus circa fidem errare non poſſe. „ *Pro tyronum vero notitia in præſens ſic oſtendo. D.* „ *Paulus ad Epheſ.* 5. docet, quod Eccleſiæ Chriſtus *ipſe de-* „ *dit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas,* „ *alios vero Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores* „ *ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii, in ædifica-* „ *tionem Corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem* „ *fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in menſu-* „ *ram ætatis plenitudinis Chriſti, ut jam non ſimus parvuli* „ *fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in ne-* „ *quitia hominum, in malitia ad circumventionem erroris*: ſu- „ per quæ verba dicit S. Hieronymus (*in cap.* 4. *ad Epheſ.*) „ *nec vero putandum, quod ſicut in ſuperioribus tribus, alios* „ *dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas; ita* „ *& in Paſtoribus, & Magiſtris, officia diverſa poſuerit. Non* „ *enim ait, alios autem Paſtores, & alios Magiſtros, ſed alios* „ *Paſtores, & Magiſtros, ut qui Paſtor eſt, eſſe debeat, &* „ *Magiſter. Nec in Eccleſiis, quamvis Sanctus ſit, Paſtoris ſibi* „ *nomen aſſumere, niſi poſſit docere, quos paſcit. Vel certe ali-* „ *ter; ut unus, atque idem præſes Eccleſiæ ſit Paſtor, & Do-* „ *ctor, Paſtor ovium, Magiſter hominum.* Poſuit ergo Chri- „ ſtus in Eccleſia Paſtores, qui ſimul eſſent Doctores, ut pa- „ ſcerent gregem doctrina in ædificationem Eccleſiæ, ne ſi- „ mus fluctuantes parvuli, & circumferamur omni vento do- „ ctrinæ, ne circumveniamur errore. Si autem omnes ſimul „ illi a Dei verbo recederent, vel recedere poſſent, quales „ poſuiſſet Doctores? quomodo eſſent in ædificationem? Non- „ ne poſt eorum judicium, ſi falli, & fallere poſſent, eſſe- „ mus merito adhuc fluctuantes? “ Dico ſic: ſi nullum Eccleſiæ ſuæ Paſtorem, ac Doctorem daret Chriſtus, ſine dubio ovile ſuum Paſtor bonus deſereret: atqui multo melius Eccleſiæ eſt, nullos habere, quam habere errantes; ergo ſi Paſtores, & Doctores ad unum omnes in errorem caderent, oves ſuas Chriſtus vel maxime deſtituiſſet.

XV. Confirmo hoc; vel populus fidelis tenetur acceptare ſenſum, quem Concilium Œcumenicum præfigit Sacræ Scripturæ, vel poteſt etiam rejicere. Si tenetur acceptare, jam errante Concilio errabit & populus. Si vero rejicere poteſt, cur in illo rejiciendo errare populus non poteſt? quod ſi non, quis erit ſpiritus infallibilis aſſiſtens populo, & non aſſiſtens Paſtoribus? Hoc eſſet, Paſtores regi, ac inſtrui a populo, non populum a paſtoribus. Si vero & populus errare poteſt, quænam ſtultior Reipublicæ forma, in qua omnes cæci? nonne de Eccleſia repeti poſſet, quod Chriſtus de Phariſæis *Matth.* 15. 14. *Cæci ſunt, & duces cæcorum, cæcus autem, ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt?* Eſſet equidem Scriptura. Verum ſcriptura nec ſentit, neque intelligit, nec de ſe ipſa judicium ferre poteſt: Quid ergo, ſi nullus ejus intelligentiam, & ſenſum certo abſque timore erroris aſſequi poſſet?

XVI. Obſervandum tamen eſt, ex iis, quæ in univerſalibus Conciliis proponuntur, id ſolum tenendum eſſe de fide, quod eſt definitionis objectum, non vero definitionis motivum, neque alia, quæ a Patribus in Conciliis, vel dicta, vel laudata; neque rationes, quæ adducuntur, neque ea, quæ ad explicandum afferuntur, imo nec verba ſingula, quibus definitio exprimitur, niſi de verbo ipſo decretum fiat. Et ratio eſt, quia in decretis Conciliorum, id ſolum tenendum de fide eſt, quod a Concilio proponitur, ut a Deo revelatum in Scriptura. Quare dum in Concilio Florentino definitum fuit, Spiritum Sanctum etiam a Filio procedere, non per hoc cenſeri debet, definitum, & de fide, motivum inter alia ibi adductum, nempe, quod ex ſola proceſſione unius ab alia habeatur realis diſtinctio inter Divinas Perſonas: Et propterea ſententia Scoti aſſerentis, quod etſi Spiritus Sanctus a Filio non procederet, adhuc ab illo realiter diſtingueretur, contraria fidei non eſt. Similiter, dum in II. Nicæno Concilio definitum eſt, Angelos poſſe pingi, non proinde cenſeri debet, definitum fuiſſe motivum a Joann. Theſſalonicenſi ibi *actor.* 5. allegatum ex Baſilio, Athanaſio, & Methodio, quia nimirum Angeli non ſint *omnino incorporales*, quin immo oppoſitum cenſuit Concilium *actor.* 4. in ſua confeſſione, ubi vocat Angelos, Sanctos, & *incorporales*, quique hodie Angelos aſſereret, non omnino incorporales eſſe, temerarie ſaltem loqueretur; Neque timendum, definitionem Eccleſiæ falſam eſſe, licet motivum ab aliquo pro definitione adductum falſum ſit. Nam Eccleſia, dum aliquid definit tanquam de fide, non innititur rationi humanæ, vel ſcientifico diſcurſui, ſed unicæ divinæ revelationi, in qua dignoſcenda certo a Spiritu Sancto regitur.

XVII. Hinc ad particularia deſcendendo reſolvi poteſt primo: Hominem formaliter juſtificari juſtitia ſibi inhærente, non autem ea juſtitia, qua Deus juſtus eſt, tenendum eſſe de fide, quia hoc expreſſe definivit Eccleſia Catholica in Tridentino *ſeſſ.* 6. *can.* 11. Quod vero hæc juſtitia inhærens ſit habitus in ſpecie qualitatis, eſto ſit ſententia omnium fere Theologorum, & hoc nomine a Concilio Viennenſi commendetur, quod ipſam ut probabiliorem elegit, ſi aliquis contrarium opinaretur, temerarie, quidem, non autem hæretice loqueretur; cum hoc nec a Tridentino, nec ab ullo generali Concilio fuerit unquam definitum.

XVIII. Secundo. Chriſti Corpus eſſe vere, realiter, & ſubſtantialiter præſens in Euchariſtia ſub ſpeciebus panis, & Sanguinem ſub ſpeciebus vini, Fides Catholica eſt, quia id expreſſe definitum eſt ab univerſali Eccleſia in Tridentino *ſeſſ.* 13. *can.* 1. Quod autem ſpecies illæ vera, & phyſica accidentia ſint, licet ſit ſententia omnium fere Theologorum, approbata in Concilio Colonienſi, & etiam in Conſtantienſi laudata, de Fide Catholica non eſt, quia in nullo generali Concilio definita; Verum quidem eſt, ſine nota, ac cenſura negari non poſſe. Similiter, quod Chriſtus in Euchariſtia ſit ſedens, vel ſtans, longus, latus, ſicut erat in Cruce, nedum de fide non eſt, ſed omnino falſum, quia Chriſtus ibi eſt ſacramentaliter, non ſecundum modum naturalem: eſſe autem ſedentem, vel ſtantem ſunt affectiones, quæ ſolum conveniunt corpori, habenti modum exiſtendi naturalem.

XIX. Tertio, dari, ſeu exiſtere Purgatorium, animaſque ibi detentas fidelium precibus juvari fidei dogma eſt, ſancitum in Tridentino *ſeſſ.* 25. Quod autem in Purgatorio ignis ſit, quod ſit unius, ejuſdemque ſpeciei cum noſtro, in quo loco ſit determinate, & quanto tempore duraturus, fidei dogma non eſt, quia nullibi definitum fuit, immo in Concilio Florentino Græci expreſſe negabant ignem in Purgatorio: & tamen Concilium *ſeſſ. ultima* definit, Purgatorium eſſe, nulla facta mentione ignis. Porro, quia ſententia aſſerens ignem in Purgatorio, eſt omnium Theologorum, immo D. Gregorii *lib.* 4. *Dialogorum cap.* 29. & D. Auguſtini *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 26. & Scriptura ſæpe nomine ignis exprimit Purgatorium, ideo opinio negans temeritatis cenſura non caret.

XX. Quarto, bonum, & utile eſſe, Sanctos cum Chriſto in Cælo regnantes invocare, de fide eſt definitum, videlicet in Tridentino *ſeſſ.* 25. quod autem Sancti audiant preces orantium in terris, licet videatur neceſſario ſequi ex aliquo de fide, nimirum ex eo, quod bonum ſit, Sanctos invocare, attamen formaliter, & expreſſe de fide non eſt, quia Tridentinum licet non ignoraverit, id etiam a Proteſtantibus negari, adhuc tamen hoc expreſſe non definivit.

Hæc, & alia ſimilia facile inferre poterit Theologiæ candidatus, habens ſemper præ oculis, nihil eſſe poſſe immediate de fide, quod non fuerit ab Eccleſia univerſali expreſſe propoſitum, ut revelatum in Verbo Dei.

XXI. Dico tertio: ſi Sedes Apoſtolica aliquem Scripturæ ſenſum præfinierit, ille idem Veritas Catholica, veruſque Scripturæ ſenſus cenſendus eſt. Fundatur hæc aſſertio in celebri illa concluſione: Sedem Apoſtolicam in fidei judicio labi non poſſe, quam ſuo loco ſtatuemus, contra quoſdam, etſi Catholicos, perperam contra muſſitantes. Quid enim claves habet Petrus, niſi ut librum clauſum aperiat? quid quod adverſus hanc Petram ne portæ quidem Inferi prævalere queant? quid quod pro Petro oravit Chriſtus, ne deficeret fides ipſius, quo fratrum vacillantem, nutantemque fidem confirmaret? Porro ad Sedem Apoſtolicam, Romanam dico, omnium Eccleſiarum Epiſcopi quovis ſeculo in fidei cauſis provocarunt, ab illius ore fideles, fidei ſemper oracula petiere, illius judicium Catholici omnes in religionis controverſiis expectarunt.

Si ergo clarior legis interpres nullus eſt, quam perpetuus Eccleſiæ uſus, Eccleſia vero pro habendo vero ac legitimo Scripturæ ſenſu, non ad Antiochenum, Alexandrinum, Conſtantinopolitanum, aut alium quemcunque Orbis Epiſcopum, ſed ad Romanum Epiſcopum ſemper recurrit; quis dubitet, hunc eſſe, quem fidum Verbi Dei interpretem, & in quæſtionibus fidei Judicem, ac Magiſtrum poſt Petrum, Chriſtus reliquit? Certe aut hic eſt, aut nullus eſt: ideoque, qui Romanum Pontificem in fidei controverſiis judicem negant, nullum alium ponunt.

XXII. Neque timendum eſt, ne Judex iſte, dum Judicem univerſalem ſe gerit, proponendo univerſali Eccleſiæ ſenſum Scripturæ, & aliquid, ut a Deo revelatum, omnes partes agat, quas agere debet, ut certum judicium proferat. Quidquid enim ſit de ipſo, dum ſuam privatam opinionem profert, vel quaſi præteriens loquitur, dum tamen conſtanti judicio, fixoque decreto, ut Judex, Paſtor, & Doctor aliquid toti Eccleſiæ tenendum, tanquam revelatum proponit, anathemate feriens, qui contradixerit, adeo certum eſt, ipſum nec falli, nec fallere, ut oppoſitum timere, idem ſit, ac de divino Chriſti promiſſo formidare. Quemadmodum enim ſi Chriſtus Petro dixiſſet: *ego rogavi pro te, ne deficiat charitas tua?* certo certius intelligeretur, diligentiam, curam, vigilias, preces, cæteraque auxilia opportuna Petro impetraſſe, quæ ſunt ad charitatis conſervationem neceſſaria: ita cum dixit: ego *rogavi pro te, ne deficiat fides tua;* procul dubio intelligimus, id ſe a Patre ſuo conſecutum, ut, quæ ad rectum judicium de fidei quæſtione oporterent, ea omnia adeſſent Petro, ſive a Deo immediate, ſive per homines habenda eſſent. Si enim Deus promiſiſſet anno ſequenti frugum abundantiam, promiſiſſet etiam, agricolas ſemina terræ mandaturos, ut oportet; ergo dum Petro, ejuſque Succeſſoribus promiſit ſpiritum veritatis, fidem indefectibilem ad confirmandos fratres, promiſit etiam illis, nihil defuturum eorum, quæ ad talem fidem tuto conſequendum neceſſaria ſunt. Etenim, ſi ſemel hæreticis hanc li-

cen-

centiam permittimus, ut in quæſtionem vocent, num Eccleſiæ Judices eam diligentiam, & curam adhibuerint, quæ opus erat, ut quæſtio ad normam Verbi Dei finiretur, quis non videt, omnia hucuſque definita, ſive a Summis Pontificibus, ſive a Conciliis Œcumenicis (dum enim quoad hoc de iis ſermo eſt) labefactari? ſed de hoc latius ſuo loco.

Hoc unum adverto, me hactenus locutum fuiſſe de Sede Apoſtolica, ſeu de Pontifice, ut Doctor univerſalis eſt, & in cauſa fidei: non vero de Perſona, nec in quæſtionibus puri facti non connexi cum dogmate, nec concernentibus fidem, aut mores. Quare ea, quæ Summi Pontifices, ab aliquo conſulti in caſibus particularibus, per decretales corpori juris inſertas, reſponderunt, non ob hoc præciſe, ut dogmata fidei habenda ſunt, neque ex iis Theologus poteſt neceſſarium conficere argumentum. Sed de hoc alibi.

XXIII. Dico quarto. Conſentiens, eademque omnium SS. PP. conſpiranſque ſententia circa Scripturarum intelligentiam, ipſiſſima eſt Fidei Catholicæ Veritas: quia concors omnium Patrum intelligentia indiviſa eſt ab intelligentia univerſalis Eccleſiæ, quam (ut diximus) eſſe teſtem indubiam de vero ſenſu Scripturarum, nemo ambigere poteſt. Id enim docet Tridentinum *ſeſſ.* 4. in decreto de editione, & uſu Sac. Lib. Et merito in his enim, quorum cognitio non pertinet ad populum, Eccleſiæ fides, fides majorum eſt, cum igitur verum Scripturæ ſcrutari ſenſum, rectamque ex ipſa haurire intelligentiam, non ſpectet ad plebem, niſi Lutheranorum inſaniam ſequi velimus, Patrum certe noſtrorum in libris ſacris intelligentia, Eccleſiæ ipſiſſima intelligentia cenſeri debet. Si itaque omnes Patres in Sacris Litteris intelligendis errarunt, Eccleſia proculdubio erravit: Cumque Eccleſiæ judicium, Chriſto præcipiente, ſequi debeat populus in his maxime, de quibus judicare ad ipſum non ſpectat, erraret populus, idque Chriſto præcipiente. Non ergo. Sed ſicut ab omnibus Patribus communi, unaque mente ſentientibus, Dei Verbum recedere potuiſſe nefas eſt credere, ut videlicet omnes aliquam Scripturam pro canonica haberent, quæ canonica non eſſet; aut e diverſo aliquam communi conſenſu exploderent, quæ canonica eſſet: Ita nec veram intelligentiam Verbi Dei potuiſſe ſimul ab omnibus recedere, fas eſt cogitare, utrumque enim Eccleſiæ promiſſum eſt, & ſpiritus, & verbum; & ſi utrumlibet omnibus SS. Doctoribus defeciſſet, Eccleſiæ pariter defeciſſet. Quod vero, & verbum, & ſpiritus intelligentiæ verbi in Eccleſia conjuncta ſint, teſtatur Iſaias *cap.* 59. *verſ.* 21. his verbis: *ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo uſque in ſempiternum*. Semen vero Chriſti Eccleſiam eſſe, fidelium negabit nemo: ergo ab Eccleſia, & conſequenter a cunctis Sanctis collective ſumptis, abeſſe non poſſunt verbum, & Spiritus intelligentiæ verbi.

XXIV. Si tamen non omnes Patres concordes ſunt, ſed aliqui unum interpretentur, alii reclament, licet hi pauciores ſint, auctoritas priorum non præſtat Theologo firmum argumentum, ſed ſolum probabile, niſi majori parti Patrum judicium Eccleſiæ univerſalis acceſſerit. Sic auctoritas Patrum aſſerentium, venientes ab hæreticis, & ab iſtis baptizatos, non eſſe rebaptizandos, quæ olim argumentum probabile conficiebat, poſtquam Eccleſia ſuo judicio hoc ſtatuit, & oppoſitum reprobavit, firmum exhibere cœpit argumentum.

Auctoritas item Patrum, etiamſi omnium, in eo genere quæſtionum, quæ ad fidem minime pertinent, fidem quidem probabilem facit, ſed non certam. Quare Vincentius Lirinenſis *comment.* 1. *num.* 28. ait: *Sanctorum Patrum conſenſio, non in omnibus Divinæ Legis quæſtiunculis, ſed ſolum certe præcipue in fidei regula, magno nobis ſtudio, & inveſtiganda eſt, & ſequenda*. Sed de hoc fuſius infra.

XXV. Dico quinto. Illud, ut dogma fidei ex Apoſtolica traditione deſcendens habendum eſt, quando Eccleſiæ uſu, & Doctrina conſecratum; vel Conciliorum, aut Summorum Pontificum auctoritate; vel certe Sanctorum omnium concordi, ac conſtanti aſſertione, tale eſſe declaratur: ſupponit hæc aſſertio, dogmata fidei non ex ſola Scriptura, ſed ex Apoſtolica traditione petenda, quod ſuo loco oſtendam. Quæ vero Chriſti, & Apoſtolorum traditiones ſint, non ex alio teſtimonio, quam Eccleſiæ peti debet. Hoc autem innoteſcere aliunde non poteſt quam ex Conciliorum, vel Sedis Apoſtolicæ decretis, ac SS. DD. conſenſu. Cum ergo neque Eccleſia, neque concilium generale, neque Sedes Apoſtolica, neque Sancti omnes poſſint in fidei judicio falli: certe quodcumque nobis fidei dogma tradiderint, ſi in Sacris Litteris non habetur, Chriſto, Apoſtoliſque tradentibus in Eccleſiam veniſſe credendum eſt, & eodem gradu habendum, ac ſi Scriptura patenter illud traderet; ideoque ex illo firmum argumentum ſumere poteſt Theologus.

XXVI. Dico ſexto: ſi Scholaſtici Theologi aliquam concluſionem firmam, ſtabilemque ſtatuerint, omneſque uno ore probarint, & perpetuo docuerint, ut certo ex principiis fidei deducta, eſto illa ut fidei dogma immediate habenda non ſit, mediate tamen, & quaſi Catholica veritas reputabitur. Explico me, Fides Divina, eſto non immediate, mediate tamen verſatur circa eas concluſiones, quæ per evidentem, & neceſſariam conſequentiam ex articulis fidei colliguntur; quare neceſſe eſt, ut infidelitas mediate quoque circa concluſiones illis contrarias verſetur. Cum enim fieri non poſſit, ut univerſi Scholæ Theologi in certis quibuſdam præfinitionibus Theologicis errent, ſicut ne in fide quidem, quod eorum error, error eſſet Eccleſiæ, utpote, quæ ad hujuſmodi res diſcernendas, non alios, quam Theologorum oculos abeat, qui ſi fallerentur, totum Eccleſiæ corpus in ſuum traherent errorem: inde fit, ut eorum in rebus fidem conſequentibus concors ſententia, ſententia etiam ſit Eccleſiæ, & qui illis refragaretur, repugnaret Eccleſiæ, & ſi ex ignorantia loqueretur, quia vel illationis vim non perciperet, etſi perſpicuam, vel aliquam præmiſſam naturalem negaret, eſto non de infidelitate ſuſpectus, de ſtultitia tamen accuſandus eſſet. Qui vero pertinaciam adderet errori ut in fide plurimum claudicans, & ut proxime, & quaſi infidelis reputaretur, ut infra. Eccleſia enim, tametſi intelligit, ejuſmodi concluſiones non a fide tantum, ſed ex principiis quoque naturæ pendere: quia tamen non putat, hominem rationalem, ea, quæ rationi perſpicua ſunt, & manifeſta negare; eum, qui illas negaret, præſumi non in ratione naturali, ſed in fide claudicare. Hæc quoad præſens compendio ſufficiat prælibaſſe, fuſius enim pro rei dignitate tractabimus de locis Theologicis agentes.

§. III.

Quid ſit doctrina pure Theologica.

XXVII. Hoc deſideratur ad completam hucuſque dictorum notitiam, explicare nimirum, quid ſit Concluſio vere Theologica.

Dico ergo: Doctrina, ſeu Concluſio vere Theologica, eſt veritas ex revelatis a Deo, ſeu ex duabus, vel ſaltem ex una præmiſſa de fide per legitimam conſequentiam, & diſcurſum deducta; ut patet in hiſce ratiociniis; *Omnis homo habet liberum arbitrium: ſed Chriſtus eſt homo: Ergo Chriſtus habet liberum arbitrium;* & in iſto: *omnis homo eſt riſivus; ſed Chriſtus eſt homo; ergo Chriſtus eſt riſivus.* In quorum utroque concluſio illata eſt veritas Theologica, & in primo infertur ex duabus præmiſſis, quæ ſunt ambæ de fide, in ſecundo autem ex uno principio de fide, & altera naturali, & certo. Dico *certo*, quia veritas, quæ ex uno principio revelato, & altero naturali ſolum probabili deducitur, non eſt proprie, & in rigore Theologica; ut in hoc exemplo: *Omnis hoſtia rite conſecrata continet vere, & realiter Sacrum Chriſti Corpus; ſed hæc hoſtia per illum Sacerdotem oſtenſa, & elevata eſt rite conſecrata*, ergo *hæc hoſtia vere, & realiter continet Chriſti Corpus:* ubi concluſio eſto procedat ex principio de fide, nempe majori propoſitione, quia tamen minor propoſitio eſt ſolum probabilis; cum probabile tantum ſit, illum Sacerdotem talem hoſtiam rite conſecraſſe, cum non ſit certum, nullum defuiſſe ex requiſitis ad valide conſecrandum. Cumque alias ex regulis dialecticæ concluſio ſequi debeat debiliorem partem, ideo illa concluſio non eſt Theologica, neque ſcientifica, quia non omnimode certa, ſed potius prudentialis, quia certa ſolum moraliter: ſufficiens tamen, ut illam teneamur abſolute adorare.

XXVIII. Ex hoc infertur primo. Concluſionem Theologicam deductam ex duabus præmiſſis, una de fide, & altera naturali, eſſe minoris certitudinis, quam ſit illa, quæ ex duabus de fide deducitur; majoris tamen, quam ſit quæcumque alia Concluſio non Theologica. Ratio prioris partis eſt, quia eo concluſio certior eſt, quo certiora ſunt principia, ex quibus fluit, cum ab iis ſuam certitudinem ſumat; ſed duo principia, quorum utrumque de fide eſt, certiora ſunt, quam duo, quorum unum de fide ſit, & alterum naturale; ergo &c. Ratio vero ſecundæ partis eſt, quia Concluſio Theologica procedens ſaltem ex una præmiſſa, quæ ſit de fide, eſt ſaltem virtualiter, ſeu in ſua cauſa, revelata; Concluſio vero non Theologica nullo modo eſt revelata: ſed concluſio virtualiter revelata certior eſt ea, quæ nullo modo revelata eſt: quia principia revelata, quibus nititur illa, certiora ſunt principiis naturalibus, quibus nititur iſta; utpote ſumentia ſuam certitudinem a Divina Veritate, & veracitate, quæ ſumma eſt, & a qua omnis veritas naturalis derivatur; ergo &c.

XXIX. Infertur ſecundo. Concluſionem Theologicam: non eſſe tantæ certitudinis, quantæ eſt propoſitio de fide. Tum quia propoſitio de fide eſt principium, unde Concluſio Theologica ſumit ſuam certitudinem, principium autem (ajunt logici) certius eſt, quam concluſio, ſecundum axioma: *propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Tum, & maxime, quia motivum, ſeu ratio certitudinis in propoſitione de fide eſt dictum, ſeu locutio divina, quæ omni certitudine certior eſt, cum nil certius ſit, quam eſſe verum id, quod Deus dixit, qui eſt prima, & ſumma veritas, & veracitas, quæ nec falli, nec fallere poteſt. Certitudo autem Concluſionis Theologicæ fundatur in dependentia, & connexione cum principiis de fide, ex quibus per legitimam conſequentiam deducitur, quæ longe minus certa eſt, quam ſit certa divina locutio.

XXX. Dices tamen: hæc propoſitio *Chriſtus habet duas voluntates* eſt concluſio Theologica deducta per hunc diſcurſum: *ſuppoſitum habens duas naturas, habet duas voluntates, Chriſtus eſt ſuppoſitum habens duas naturas, divinam, & humanam; ergo Chriſtus habet duas voluntates:* & tamen hæc concluſio eſt tantæ certitudinis, quantæ propoſitio de fide, cum ſit fide tenenda; ergo concluſio Theologica eſt tantæ certitudinis, &c.

Si dicatur, dictam propoſitionem habere certitudinem fidei, non quatenus eſt concluſio Theologica deducta per diſcurſum ex præmiſſis de fide, ſed quia aliunde, & ipſa eſt propoſitio de fide definita in VI. Synodo Œcumenica contra Monothelitas, tanquam revelata in Verbo Dei.

XXXI. Contra. Saltem iſta propoſitio *Chriſtus eſt riſivus* eſt concluſio mere Theologica, & nullibi definita ut de fide, & tamen certitudine fidei certa eſt, ut qui, illam negaret, eſſet hæreticus.

Ref-

Reſpondetur, qui dictam propoſitionem negaret, non fore hæreticum, quia illam immediate, & præciſe negaret, ſed quia negando hanc propoſitionem *Chriſtus eſt riſivus*, præſumeretur negare iſtam: *Chriſtus eſt homo*, quæ de fide eſt, & ex qua naturaliter ſequitur illa.

XXXII. Adhuc tamen urgebis. Iſta propoſitio: *Chriſtus mortuus eſt pro me*, eſt concluſio Theologica illata eſt iſta de fide: *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*: & tamen eſt certa certitudine fidei, dicente Paulo *ad Galat.* 2. *verſ.* 20. *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me:* ergo &c.

Reſp. negando majorem. Hæc enim propoſitio *Chriſtus mortuus eſt pro me* non eſt concluſio mere Theologica, ſed articulus Fidei; licet enim videatur inferri ex iſta *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus*, iſte tamen diſcurſus non eſt vere illativus, ſed ſolum explicativus; ſicut enim iſte diſcurſus: *Omnis homo eſt rationalis, ego ſum homo;* ergo *ego ſum rationalis* non eſt diſcurſus vere illativus, ſed ſolum explicativus, quia ſignificatum hujus propoſitionis: *Ego ſum rationalis* continetur *in iſta omnis homo eſt rationalis;* ita in præfato diſcurſu. Hæc enim propoſitio *Chriſtus mortuus eſt pro me*, continetur quoad ſuum ſignificatum in iſta *Chriſtus mortuus eſt pro omnibus hominibus*. Quare, qui ei aſſentitur, non aſſentitur ratione connexionis cum iſta revelata; ſed quia putat, Deum revelando Chriſtum mortuum eſſe pro omnibus, revelaſſe etiam eſſe mortuum pro ſingulis hominibus, & conſequenter etiam pro ſe.

XXXIII. Ex dictis liquido apparet, quid ſit quæſtio, & concluſio vere Theologica, pro eodem enim accipio quæſtionem, & concluſionem. Dum per interrogationem electa in controverſia ponitur, quæſtio eſt, dum per argumentationem colligitur, & reſolvitur, concluſio; non omnes enim quæſtiones, quæ a Theologis hodie agitantur in ſcholis, Theologicæ ſunt; inutiles illæ, & ab humano, ac luxurianti ingenio excogitatæ, quæque a Theologicis principiis alienæ ſunt, neque ullam cum illis connexionem habent, etſi plerumque impleant Theologorum ſcripta, & in diſputationibus principem locum obtineant, ad Theologiam minime ſpectant; quæ cum Dei Doctrina ſit, & ex dictatis a Deo procedat, ſolidas, aptas, utiles quæſtiones, ut ſuas admittit, ineptas, vanaſque, & inutiles rejicit ut extraneas. *Ego ſum Deus tuus* (inquit Iſaias *cap.* 48. *verſ.* 17.) *docens te utilia*. Theologia ergo inutilia non colligit: quin ſuper fidei fundamentum, quod ab Apoſtolis poſitum eſt, aurum, argentum, lapides pretioſos ſuperædificat 1. *Cor.* 3. *verſ.* 12. Unde qui ligna, fœnum, & ſtipulam coacervant, non ex Theologia, ſed ex luxuriante ingenio faciunt.

XXXIV. Neque tamen ſolas eas quæſtiones ad Theologiam ſpectare puto, quæ ex principiis revelatis immediate reſolvantur. Aliæ enim ſunt quaſi Theologiæ appendices, quæ explicandi gratia illas, quæ vere, & proprie Theologicæ ſunt, appoſite, & graviter adjunguntur, quæ jure quodam, vel ſimilitudinis, vel propinquitatis, vel etiam ordinis, Theologicæ non abſurde vocari poſſunt; ſive quia inventæ ſunt ad explicanda, & quodammodo ſuadenda Theologiæ principia contra ea negantes, vel revocantes in dubium; ſive, quia aptæ ſunt ad clarius intelligendas Theologicas veritates. Quæ res D. Thomam, cæteroſque Theologos adduxit, ut in quæſtionibus Theologicis quærant de exiſtentia Dei, aliiſque, quæ potius deberent ſupponi; & ne unum quidem principium in Theologia adſit, quod in quæſtionem Theologi non verterint, ut ſi a quopiam fuerit negatum, qui forte alia principia conceſſerit, parati ſint ex his, quæ conceſſerint hominem evincere. Hoc enim ſcientiæ ſupremæ privilegium eſt, ſua principia, nedum ſupponere, ſed, ſi oportuerit, probare, explicare, tueri. Quod idem circa concluſiones inde deductas multo magis præſtare illi conceditur, ſi utile, ac expediens judicaverit: de quo monitum velim Theologiæ candidatum, ut utilia ab inutilibus poſſit ſecernere.

XXXV. Quæſtionum ergo Theologicarum, ex Cano *lib.* 12. *cap.* 5. *de locorum uſu*, duo ſunt genera; alterum cognitionis, ſerviens nimirum contemplationi; alterum actionis concernens ea, quæ agenda ſunt. Primi generis ſunt illæ, quarum finis eſt cognitio, & ſcientia, ut ſi quæratur: an Pater & Filius ſint unum principium Spiritus Sancti, vel duo. Num Divinæ Perſonæ diſtinguantur abſolutis, an relativis. Secundi generis ſunt; quarum finis eſt actus, & ſalus hominis; ut: an Pœnitentia ſit ad ſalutem neceſſaria ut medium, an ut præceptum. An Sacramenta novæ Legis gratiam conferant, & virtutes. Quæſtiones, ad cognitionem ſpectantes, ſunt quadruplicis generis, ut cum de Deo, vel Angelo, aut anima rationali quæritur, an ſit, quid ſit, qualis ſit, aut cur ſit. Quæſtionum vero actiones concernentium duo ſunt genera; unum ad ſalutem neceſſarium, alterum utile tantum. Prioris generis ſunt; an ſi honor Chriſti periclitetur, aut ſalus etiam ſpiritualis proximi, homo Chriſtianus teneatur vitam prodigere; an detur præceptum de Baptiſmo ſubeundo. Poſterioris vero generis, cum quæritur: an aqua luſtralis diluat peccata venialia, tollatque pœnas temporales vi ſua, vel (ut ajunt) ex opere operato, an ſolum ex opere operantis, ejuſque merito. Num Eccleſiæ Sacramentum ex attrito faciat contritum; & an recedente fictione, ſuum effectum conferat, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia. Quarum quæſtionum plena eſt D. Thomæ ſumma. Theologus enim non ſemper de neceſſariis diſſerit, ſed quandoque etiam de his, ſine quibus ſalus, religioque conſtat.

XXXVI. Quæſtiones inſuper Theologicæ, ſive ad cognitionem, ſive ad actionem ſpectantes, aliæ naturales ſunt, quarum cur ita ſint, naturalis ratio reddi poteſt. Aliæ ſupernaturales, quæ ex ſupernaturalibus tantum principiis definiuntur. Aliæ mediæ, quæ partim ex ſupernaturali, partim ex naturali principio pendent. Primi generis eſt quæſtio: num *Deus ſit ubique:* num *immutabilis:* num *animus hominis immortalis ſit:* quorum probationes ex Sacris Litteris eſto petere liceat, qua ratione ad fidem utique pertinent, ſunt tamen etiam lumine naturæ claræ, & evidentes, ideoque fidei quæſtiones per ſe non ſunt, ſed fidei quaſi appendices. Secundi generis eſt hæc: *an omnes mortui ſimus:* quam Paulus hac argumentatione definit: *Si pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, omnes mortui ſunt, at pro omnibus mortuus eſt Chriſtus;* ergo *omnes mortui ſunt*. Item iſta: *an omnes reſurgemus*. Quam Apoſtolus terminat ſic: *Chriſtus reſurrexit:* ergo *& nos reſurgemus*. Tertii generis iſta eſt: *Num Chriſtus ſit riſivus: num habeat duas voluntates, duos intellectus*, quæ ex principio naturali, & ſupernaturali finiuntur, ut ſupra dictum eſt.

XXXVII. Alia etiam Theologicæ quæſtionis cujuſcumque generis diviſio addi poteſt. Aliquæ enim ſunt, pro quarum veritate Theologus etiam cum capitis diſcrimine ſtare debet, quia ſunt veritates ad fidem ſpectantes, ſicut iſtæ: *An Chriſti anima ſimul, atque verbo conjuncta fuit, Deum clare viderit;* & an *in aliquo ex locis inferis Purgatorium ſit, ubi fidelium animæ peccatorum pœnas luant*. Aliæ vero, quæ in utramque partem, & negari ſine fidei jactura poſſunt: Quarum plura exempla profert S. Auguſt. *lib.* 2. *de peccato origin. contr. Pelag. cap.* 23. & alibi ſæpe, ut: *Cum quæritur qualis, vel ubi ſit Paradiſus*, ubi conſtituit Deus hominem *quem formavit ex pulvere*, cum tamen illum eſſe Paradiſum *fides Chriſtiana non dubitet. Vel cum quæritur, ubi ſit nunc Elias, vel Henoch, an ibi, an alicubi alibi, vel cum quæritur, utrum in corpore an extra corpus in tertium Cælum ſit raptus Apoſtolus*, an viderit clare Deum, & ſimilia, quæ in utramque partem ſalva fide reſolvi poſſunt.

XXXVIII. Officium itaque Theologi erit ſæpe diſpicere, quam quæſtionem ſit verſaturus, & identidem ſe interrogare, cujus generis illa ſit, & maxime, an præter fidem illa ſit; an potius ad fidem, religionemque pertineat, ut quæ ad fidem minime neceſſaria eſt, ſobrie, ac ſine animi contentione pertractet, totuſque incumbat illi ſtabiliendæ, qua Fides, & Religio juvari poſſit. Hoc faciet, ſi nomen Theologiæ ſecum ipſe reputet, titulumque ſuum, hoc eſt Theologi, frequenter legat, ſciatque, nullam ſibi quæſtionem adſciſcendam, niſi quæ ad veram, quæ ſupra naturam eſt, Chriſti, Apoſtolorum, & Prophetarum, Philoſophiam referatur. Hujus conſiderationis immemores quidam, innumeris in quæſtionibus, præſertim Dialecticis, Phyſicis, Methaphyſicis explicandis, importuniſſimi, longiſſimi ſunt; in quæſtionibus vero Theologiæ propriis adeo frigidi, & parci, ut vix eas attingant: Hoc dico non quia quæſtiones iſtas omnino a Theologis exterminandas putem. Eſt enim animorum, ingeniorumque exercitio non modo acuminis plena, ſed etiam ad Theologiam ſcholæ valde utilis, ſed ne in iſtis Theologus adeo immoretur, ut in eis tractandis, quaſi ſibi finem conſtituat. Sic S. Auguſtinus *lib.* 2. *de Geneſi ad litteram cap.* 9. & 10. varias quæſtiones, in quibus Manichæi immorabantur, quaſi præteriens, ſolvit, quia illis ineundis, atque tractandis, neque Epiſcopo temporis ſatis erat, neque illis, quos ad ſalutem, & Sanctæ Eccleſiæ neceſſariam utilitatem, cupiebat informari; hoc facto reprehendens illos, qui in iis excitandis, atque ſolvendis, longa, & rebus ſalubribus impendenda, temporum ſpatia occupant. Hoc ego exemplo munitus, in iis quæſtionibus, quæ vel Theologicæ vere ſunt, vel ad eas explicandas conferunt, totus ero, alias in ſcholis tractari ſolitas, ſtricte, & quaſi præteriens tangam. Non enim iis conſentio, qui ſcholæ perpetuam invidiam conflantes, ſpargunt, controverſias circa Ariſtotelem exortas, eſſe diſquiſitione Theologi prorſus indignas, cum, ſi quæ in Cicerone erant ambigua, ea non ſit dedignatus explicare S. Auguſtin. *lib.* 2. *de ordine cap.* 16.

DUBIUM V.

De variis errorum gradibus.

§. I.

Quædam præmittuntur.

I. Poſt completum ſcrutinium de veritatibus fidei, vel quæ fidem quomodolibet tangunt, ad eandemque reducuntur, inſtruendus eſt Theologiæ candidatus, de erroribus illis oppoſitis. Sed quoniam errores eorum, qui de fidei veritatibus prave ſenſerunt, non in eodem gradu eſſe accipimus a Concilio Conſtantienſi *ſeſſ.* 8. hos omnes errorum gradus paucis exponere dignum erit. Et ſane ſicut læſiones corporum, aliæ ſunt mortales, quæ immediate auferunt vitam, aliæ vero, quæ licet non auferant vitam, homo tamen per eas male ſe habet, & diſponitur ad corruptionem, vel in toto, vel in parte: ſic errores, & propoſitiones lædentes fidem, aliæ ſunt, quæ immediate illam deſtruunt, & ſunt illæ, quæ manifeſtam continent hæreſim, aut infidelitatem, aliæ vero, quæ licet illam immediate non deſtruant, ad fidei corruptionem tamen diſponunt.

II. In dignoſcendis autem erroribus, & propoſitionibus fidei quomodocumque nocivis, & earum gradibus cenſuræ Eccleſiæ ſtandum eſt. Non minus enim infallibilis debet eſſe Eccleſia in rejicienda doctrina non ſana, & Fidei Catholicæ quomodocumque nociva, quam in admittenda doctrina ſanæ, & fidei conſona; ſed propter primum ad dignoſcendum, an aliquid ſit a Deo revelatum, vel Divinæ Fidei conſonum, recurrendum eſt ad Judicium Eccleſiæ, ut dubio præcedente ſtatuimus;

mus: ergo ob ſecundum ad rejiciendum aliquid, ut contrarium revelatis a Deo, & Fidei Catholicæ nocivum, expectandum eſt judicium, & cenſura Eccleſiæ. Sicut, quemadmodum non eſt tenendum, aliquid eſſet revelatum, & de fide, donec Eccleſia, ut tale illud propoſuerit, ita neque tenendum erit, aliquid eſſe contrarium fidei, donec Eccleſia ſua cenſura illud non notaverit. Cenſura enim eſt nota, qua Eccleſia præhabito rigoroſo examine, inurit aliquas propoſitiones non continentes doctrinam ſanam circa materiam fidei, ſeu fidem Catholicam aliquomodo lædentes.

III. Quod ſi dixeris, doctrinam aliquam eſſe nocivam fidei ex hoc ſolo, quod ſit contraria Verbo Dei: ergo ex hoc præciſe abſque ullo reſpectu ad Eccleſiæ judicium, aut criterium nociva fidei cenſenda erit.

Nego conſequentiam: eſto enim ex ſola oppoſitione cum Verbo Dei doctrina aliqua evadat fidei nociva, ut tamen a nobis tanquam talis habeatur certo, ad Eccleſiam reſpicere debemus. Vel enim contrariatur veritati clare revelatæ, ut ſunt veritates ad ſalutem prorſus neceſſariæ, & ſic doctrinam illis contrariam tuto dignoſcimus per Eccleſiæ conſtantem, ac perpetuam conſenſionem. Vel non adeo clare conſtat, eam eſſe a Deo revelatam, nec de traditione ſatis compertum eſt: ideo ad hoc certo dignoſcendum, ad Eccleſiæ judicium, & criterium Catholicus confugere debet, & ex hoc doctrinam contrariam dijudicare. Hinc S. Auguſtinus *lib. 2. contr. Creſconium cap. 32.* aperte profitetur, ſe non recipere doctrinam Cypriani de baptizandis Hæreticis, & Schiſmaticis, quia hoc non recipitur ab Eccleſia. *Non accipio* (inquit) *quod de baptizandis Hæreticis, & Schiſmaticis B. Cyprianus ſenſit, quia hoc Eccleſia non accipit, pro qua B. Cyprianus ſanguinem ſuum fudit.* Et eadem ratione ab erroris labe Cyprianum excuſat, quia ejus doctrina ab Eccleſia nondum fuerat judicata *lib. 2. de baptiſmo contr. Donat. cap. 4.*

Huic judicio omnes viri Catholici ſe, ſuaſque doctrinas ſubjiciunt, parati ſemper, in omnibus corrigi ad limam Catholicæ Eccleſiæ, quibus facem præfert exemplo ſuo D. Hieronym. *epiſtol. 14. alias ad Damaſum*, qui cum ab Epiſcopo Arianorum, & aliis multum agitaretur, nec ſciret, an Catholice admittere poſſet tres hypoſtaſes in Deo, ad Cathedram Apoſtolicam confugit. *Ideo*, inquit, *mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam*. Inde laudata fide Romana, dicit: *Ego nullum primum, niſi Chriſtum ſequens, Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri communione conſocior;* Deinde rogat Damaſum, ut decernat, an debeat fateri tres hypoſtaſes: *Decernite, obſecro, ſi placet, non timebo, tres Hypoſtaſes dicere.* Hinc etiam fit, ut licet aliqui SS. PP. vel etiam Doctores aliqua ſcripſerint, quæ hiſce temporibus contraria fidei judicantur, non cenſebantur tunc, vel cenſendi modo ſunt hæretici, quia eo tempore nondum ab Eccleſia declaratum erat, eorum doctrinam eſſe Verbo Dei oppoſitam, habebantque inſuper animum paratum retractandi eam, ſi forte Eccleſiæ judicio non foret comprobata, quare Cyprianum excuſat D. Auguſtinus ſupra laudatus.

IV. Septem ergo gradus propoſitionum, ſeu doctrinarum cenſurabilium recenſentur in Concil. Conſtantienſi *ſeſſ. 8.* ubi examinatis articulis Wicleffi, ſancitur, plures ex illis eſſe *notorie hæreticos*, & a pluribus SS. PP. reprobatos, alios *non Catholicos* ſed *erroneos*, *alios ſcandaloſos*, & *blaſphemos*, quoſdam *piarum aurium offenſivos*; nonnullos autem *temerarios*, & *ſeditioſos*. Octava cenſuræ ſpecies colligitur ex Bulla S. Pii V. contra Bajum, in qua præfatis additur propoſitio *ſuſpecta*; & *in cap. accuſatus in 6.* adjungitur nona, nempe *ſapiens hæreſim*. Relatis cenſuris nonnulli addunt ſubſequentes, nempe *proximas hæreſi*, *ſuſpectas de hæreſi*, *male ſonantes*, *ſimplicium ſeductivas*, *ſchiſmaticas*, *injurioſas*, *judaicas*, *paganas*, & *atheas*. Has ergo omnes pro viribus excutiemus.

§. II.

De propoſitione, ſeu doctrina hæretica.

V. DIco. Propoſitio, ſeu doctrina hæretica illa eſt, quæ immediate adverſatur, aut expreſſo Dei Verbo, aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ. Dicitur adverſari Dei Verbo, quia Dei Verbum, ſive ſcriptum, ſive traditum, ſunt duo fontes, ex quibus hauriuntur omnes articuli fidei. Dicitur etiam adverſari verbo Dei *immediate* ad differentiam propoſitionis erroneæ, quæ (ut dicemus) adverſatur Dei Verbo ſolum mediate, quia adverſatur propoſitioni deductæ ex Dei Verbo. Dicitur adverſari Verbo Dei expreſſo, hoc eſt veritati, quæ in Verbo Dei expreſſe continetur, ut ſunt Chriſti mors, ſepultura, reſurrectio &c. Hinc patet, hanc propoſitionem, quæ inter quinque Janſenianas damnata legitur num. 2. ab Innocentio X. *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur*, merito tanquam hæreticam fuiſſe proſcriptam, quia contradictorie immediate opponitur huic expreſſo Dei Verbo *Actor. 7. verſ. 51. Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Sicut & hanc aliam ab Alexandro VIII. damnatam: *homo non tenetur amare Deum neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ mortalis.* Contradictorie etenim adverſatur huic expreſſo Dei, & Chriſti mandato *Deuteronom. 6. 5. & Matth. 22. v. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

VI. Dicitur inſuper, *aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ*: ſiquidem propoſitio, quæ implicite tantum continetur in Dei Verbo, poſtquam Eccleſia declaravit, eam revera in illo contineri, Fide Divina expreſſe credi debet ab iis, quibus ſufficienter innotuit latum ab Eccleſia judicium. Propter hanc rationem doctrina de rebaptizandis baptizatis ab hæreticis cum debita forma, & intentione, ſicut & doctrina de celebrando Paſchate quartadecima luna Martii, quacumque die inciderit; eſto olim non foret doctrina hæretica, quia nondum expreſſo Eccleſiæ judicio conſtabat, oppoſitam doctrinam implicite contineri in Verbo Dei, ſive ſcripto, ſive tradito, poſtquam Eccleſia hac de re in plenariis Conciliis ſuam tulit ſententiam, utraque doctrina habenda eſt, ut hæretica.

VII. Sic ergo explicata concluſio, hoc diſcurſu probatur. Ea propoſitio, aut doctrina recte dicitur hæretica, quæ immediate contradictorie opponitur doctrinæ, & propoſitioni Catholicæ: ideo enim hæc propoſitio, *Chriſtus non eſt Deus*, hæretica eſt, quia directe contradicit huic alteri, quæ eſt Catholica, *Chriſtus eſt Deus*, ſeu *Filius naturalis Dei ſubſtantialis Patri;* ſed propoſitio, quæ adverſatur, aut expreſſo Dei Verbo, aut expreſſæ definitioni Eccleſiæ, eſt contradictoria propoſitioni Catholicæ; hæc enim definitur, quod ſit ea, quæ expreſſe in Dei Verbo continetur, aut ſi tantum implicite, ab Eccleſia declarata fuit revera in Verbo Dei contineri; ergo &c.

Ut autem aliqua propoſitio poſſit hæretica cenſura notari, debet eſſe, vel in materia juris ad Fidem, ſive mores pertinens, vel in materia, quæ in Dei Verbo, aut ſcripto, aut tradito contineatur, aut in materia facti connexi cum Jure. Aliæ enim quæſtiones puri facti, quæ in Dei Verbo nec explicite, nec implicite continentur, etſi acceſſerit Eccleſiæ judicium, materiam fidei non conſtituunt; ideoque doctrina contraria non eſſet habenda, ut hæretica, quia non contradiceret Eccleſiæ judicio infallibili regulato a Dei Verbo, ſed humana informatione. Sic qui diceret, ſextam Synodum male damnaſſe, & inter hæreticos Monothelitas rejeciſſe Honorium Papam, non eſſet hæreticus, quia licet judicio Eccleſiæ ſeſe opponeret, non tamen in eo, in quo regitur a Verbo Dei, ſed tantum ex humana fallibili informatione. Ita Cardinales Turrecremata *lib. 2. de Eccleſia cap. 93.* & Bellarminus *lib. 4. de Romano Pontifice cap. 11.*

VIII. Obſervat tamen Melch. Cano *lib. 12. de locis Theol. cap. 7.* non ſemper doctrinam, vel propoſitionem hæreticam certo indicare, in eo, qui eam profert, vel ſcribit, hæreſim eſſe. Sicut enim (inquit ille) urina eſt improprie ſana, quia ſignum eſt ſanitatis, etiamſi fallax aliquando ſit; ſic propoſitio, vel in voce, vel in ſcripto vocatur hæretica, quod ſignum hæreſis eſſe ſoleat, quamvis interdum is, qui dixerit, ab hæreſi excuſetur, quia ignorans fuit. Poteſt ergo propoſitio aliqua hæretica eſſe ſolum ex genere, & ex objecto, non autem ex ſubjecto, ſicut concubitus primus Jacob cum Lia, quæ non erat ſua, dici poteſt fornicarius ex ſpecie, & ex objecto, qui tamen ex ſubjecto, ideſt ex parte Jacob, qui concubuit cum Lia, credens invincibiliter eſſe ſuam, fornicarius non fuit. Sic doctrina aliqua ex objecto, & materialiter dici poteſt hæretica, quin formaliter, & ex ſubjecto hæreſis ſit, ſi eam proferens erret, putans eſſe Doctrinam Catholicam. Neque enim ex eo, quod contradicat fidei ſtatim hæreſis eſt, ſicut nec omnis color, qui contrariatur albo, ſtatim niger eſt. Sic igitur fieri poteſt, ut in Chriſtiano, error aliquis ſit fidei aliquo modo adverſus, quin adhuc formaliter hæreſis ſit, ut patet in allato exemplo de colore albo, cui rubeus, glaucus, viridis contrarii ſunt, imperfecte tamen. Et eadem proportionali ratione quidam etiam ſunt Chriſtianorum errores, qui cum inchoati ſint, & informes, hæreſeos ſpeciem nondum attingunt, licet ad eam ipſam proxime accedant. Ut ergo doctrina aliqua formaliter, & ſubjective hæreſis ſit, debet errori circa fidem habere adjunctam pertinacem electionem, & adhæſionem errori contra ipſam, ita ut qui illam tenet, ſciens, & volens eam teneat, quamvis ſe a Catholico Grege noverit ſeparari. Quod ſi ignorans, adhuc culpabiliter, in eo errore verſetur, peccabit quidem, ſed non peccato hæreſis.

§. III.

De propoſitione erronea, & errori proxima.

VIII. QUantum ad propoſitionem erroneam. Noto, propoſitionem erroneam in ſui latiſſima ſignificatione idem eſſe, ac propoſitionem falſam, quia error dicitur ex eo, quod a ſcopo veritatis aberret. Propoſitio vero erronea Theologice dicitur omnis propoſitio a fidei veritate devians: quo ſenſu etiam propoſitio hæretica erronea dici poteſt. At ſtrictius loquendo error Theologice eſt quid inferius ad hæreſim, hæreſi tamen proximum. Quare propoſitio erronea in ſtricta acceptione illa eſt, quæ equidem fidem immediate non deſtruxit, ad ejus tamen deſtructionem proxime diſponit.

IX. Hoc ſuppoſito. Omiſſa opinionum varietate; Dico, Propoſitionem erroneam in fide eſſe illam, quæ opponitur veritati, ſeu doctrinæ, quam unanimis SS. PP. ac Doctorum conſenſus judicat eſſe revelatam, ſed nondum per Eccleſiam definita eſt: vel illam, quæ opponitur doctrinæ, non quidem per Eccleſiam definitæ, aut formaliter, & expreſſe revelatæ, communiter tamen a Doctoribus per diſcurſum neceſſario illatæ ex revelatis. Quare concluſio Theologica communiter dicitur virtualiter revelata, quia ita proxime accedit ad fidem, ut nihil ei deſit, quo de fide ſit, niſi expreſſa Eccleſiæ definitio. Unde fit, quod propoſitio erronea, & hæreſi proxima coincidant. Sit exemplum: uſque modo Eccleſia non definivit, quod in hac propoſitione *Chriſtus eſt homo* includatur iſta *Chriſtus eſt riſivus*. Ex communi tamen Theologorum ſenſu habetur, quod iſta *Chriſtus eſt riſivus* contineatur in iſta *Chriſtus eſt homo*, quia ſcriptura innuit, Chriſtum eſſe hominem perfectum habentem hominis proprietates, ſaltem quarto modo proprias hominis, ſicut eſt riſivitas. Qui ergo negaret, Chriſtum eſſe riſivum, non eſſet quidem hæreticus, quia non negaret veritatem expreſſe contentam in ſcriptura, vel definitam ab Eccleſia; eſſet tamen erroneus, & hæreſi proximus. Sic opinio Cypriani de invaliditate Baptiſmi collati ab hæreticis; Opinio Sergii de una tantum in Chriſto operatione, potuit dici erronea, antequam Eccleſia definiret, oppoſitum contineri in Verbo Dei, nunc autem poſtquam Eccleſia definivit, non amplius erronea tantum, ſed hæretica cenſenda eſt.

X. Concluſio ſic explicata probatur. Nam per hoc propoſitio erronea differt ab hæretica, quia iſta negat veritatem, aut expreſſe revelatam, aut implicite ſolum, ſed addita Eccleſiæ Catholicæ definitione. Differt quoque a cæteris propoſitionibus cenſurabilibus, ut infra dicetur.

Porro immerito ab Juenin. *Inſtitut. Theolog. Prolegomen. diſſert. 5. de propoſ. cenſur. quæſt. 2.* reprehenditur Melchior Canus, quod propoſitionem erroneam unice dixerit eſſe eam, quæ adverſatur quidem alicui veritati Catholicæ, ſeu quam univerſa tenet Eccleſia, ſed tamen qua fides non evertitur, licet aliqua ei labes inferatur. Nam laudatus Canus in tres gradus diſtinguit propoſitiones erroneas. In primo ponit illam (de qua Juenin.) qua ſcilicet fides quatitur, ſed non evertitur. Diſtinguit enim veritates Catholicas, ſeu quas univerſa tenet Eccleſia in eas, quibus ſublatis fides tollitur, & eas, quibus ſublatis fides læditur, ſed non perit, ut ſunt iſtæ: *ſpeciales orationes applicatæ uni perſonæ per Prælatos, ſeu Religioſos, magis proſunt, quam generales. Religioſi non tenentur labore manuum victum quærere, ſed licet eis eſſe mendicos;* quibus ſi quis contradicat, erroneus quidem erit, hæreſique proximus, ſed nondum hæreticus. In ſecundo autem gradu ponit illam, quæ contradicit quidem veritati, quæ ſapientum quidem opinione conſtanti, fidei veritas eſt, ſed nondum ut talis ab Eccleſia definita, nec certo argumento demonſtrata. In tertio vero gradu eam ponit, quæ certæ veritati Catholicæ adverſatur, non manifeſte quidem, ſed ſapientum omnium longe probabili, ac ferme neceſſaria ſententia, concluditque: *Quicumque ergo vel doctrinam fidei appendicem liquido evertit: vel fidem ipſam in diſcrimen adducit vehementer, ille ſane in Chriſtiana diſciplina errat, atque adeo ejus dicta jure appellantur erronea.* Canus ergo noſtræ reſolutioni non refragatur, ſed eam extendit.

XI. Propoſitio errori proxima eſt illa quæ opponitur ei, quam plures, ſed non omnes Theologi cenſent eſſe Concluſionem Theologicam. Sic propoſitio negans facta conſecratione manere vera accidentia panis, & vini, videtur errori proxima, quia opponitur huic: In Sacramento Altaris facta Conſecratione manent vera accidentia, quam plures, immo Theologorum ſanior pars, cenſet, eſſe concluſionem Theologicam illatam ex definitionibus de fide Conciliorum Conſtantienſis, & Tridentini.

§. IV.

Aliæ ſpecies propoſitionum cenſurabilium.

XII. PRopoſitio ſapiens hæreſim (quæ non in alio videtur differre a propoſitione hæreſis ſuſpecta, niſi quod illa cum majori, iſta cum non adeo magna, multa tamen probabilitate judicatur hæretica) illa eſt, quæ ſaporem, & ſuſpicionem hæreſis ingerit; Vel quia in ſe ad hæreſim videtur accedere, vel hæreſim redolere; Vel quia licet in aliquo ſenſu tolerari poſſet, tamen ex circumſtantia perſonæ, loci, & temporis adjunctam habet gravem, vel graviſſimam ſuſpicionem aut ſaporem hæreſis. Sit exemplum in hac propoſitione, *Chriſtus eſt creatura*, quæ in ſe ad hæreſim Neſtorianam accedere videtur: nam cum ly *Chriſtus* ſupponat pro Perſona, videtur aſſerere, Perſonam Chriſti eſſe creaturam, & licet prolata a Catholico tolerari poſſet, quia videtur intelligi, quod ſit creatura quantum ad humanam naturam; prolata tamen ab hæretico Ariano, vel Neſtoriano, maximam ſuſpicionem, & ſaporem hæreſeos facit, nimirum, ne intelligatur, quod Chriſtus etiam quantum ad ſuppoſitum ſit creatura. Sic etiam iſta *fides juſtificat*, quæ in ore D. Pauli Catholica eſt, in ore autem Lutheri, qui vult, ſolam fidem juſtificare, hæreſis ſuſpicionem facit. Quo in ſenſu damnatæ ſunt plures propoſitiones a Janſeniſtis prolatæ, quæ licet in Sacra Scriptura iiſdem fere terminis legantur, & in D. Auguſtino, in ore tamen Janſeniſtarum ſenſum hæreticum præſeferunt.

XIII. Propoſitio ſapiens errorem, ſeu de errore ſuſpecta, ea ſimiliter eſt, quæ ex circumſtantia Perſonæ, loci, & temporis gravem ſuſpicionem, apparentiam, & ſaporem erroris ingerit; vel ut alii explicant, ea eſt, quæ cum erronea ſimilitudinem habet aliquam: ſicut, ſi quis propoſitionem aliquam aſſereret, qua aſſerta videretur aſſerere iſtam: *Chriſtus non eſt riſivus*; ſive negaret aliquam, qua negata, videretur negare iſtam concluſionem Theologicam: *Chriſtus eſt riſivus.*

XIV. Propoſitio temeraria dicitur illa, quæ ſine fundamento in Scriptura, Patribus, Doctoribus, & traditione, immo contra ſenſum iſtorum, in materia fidei, aut morum aliquid enunciat. Pro cujus explicatione adverto ex D. Thoma 2. 2. *quæſt. 53. art. 3. ad 2.* aliquid fieri temere, *dupliciter poſſe contingere; uno modo ex impetu voluntatis, vel paſſionis*, & ſic potius dicitur præcipitatio. *Alio modo ex contemptu regulæ dirigentis; Et hoc proprie importat temeritas, unde videtur ex ea radice ſuperbiæ provenire, quæ refugit ſubeſſe regulæ alienæ.* Cum ergo aliquis abſque gravi fundamento reſilit ab eo, quod in Theologia communiter docent Theologi, hoc non poteſt oriri ex alio principio, niſi quia nimis amans judicium proprium, non vult acquieſcere majorum ſententiis, & ideo temeritatis notam incurrit; Sicut ſi quis negaret, B. V. fuiſſe aſſumptam in Cælum, etiam quoad corpus, vel negaret hiſtorias pias ab Eccleſia receptas; & propoſitas. Quo morbo recentiores non pauci, criticæ intemperantioris ſtudioſi, laborare videntur. Similes ſunt etiam Theologi morales, qui abſque ullo fundamento in Scriptura, Patribus, ac traditione ſolis leviſſimis ratiunculis moti, varias propoſitiones, tum circa cultum Deo debitum, tum circa charitatem erga proximum, circa homicidium, & furtum, aliaque ediderunt, quas Alexander VII. & Innocentius XI. merito confixerunt.

XV. Quæres, an omnis propoſitio temeraria ſit hæretica, aut erronea, & an omnis hæretica, & erronea ſit temeraria.

Reſpondeo ad primum, negative. Quia multæ propoſitiones temerariæ ſunt reſpicientes facta, quæ poſt Apoſtolorum tempora contigerunt; vel ſi eorum temporibus evenere, non continentur in Verbo Dei, nec immediate, nec mediate, nec de illis ulla eſt Eccleſiæ Catholicæ definitio, & per conſequens non ſunt hæreticæ, neque erroneæ; quia hæreticæ, tales dicuntur, quia immediate opponuntur Verbo Dei, erroneæ vero, mediate.

XVI. Ad ſecundum vero reſpondeo, omnem quidem propoſitionem hæreticam eſſe temerariam. Quæ enim major temeritas, quam expreſſo Verbo Dei, aut Eccleſiæ judicio nolle ſe ſubjicere? Non tamen omnem propoſitionem erroneam eſſe temerariam; multæ namque propoſitiones erroneæ defenſatæ fuerunt a Viris doctiſſimis, qui eis adhærebant, gravi, ut eis videbatur, nixi fundamento; ideoque temeritatis nota inuri non debebant, maxime, quia ea in re Eccleſia nihil adhuc fuerat locuta. Sic temeritatis notam effugit Cyprianus, etſi propoſitionem erroneam de rebaptizandis hæreticis ſuſtineret. Neque hac nota configendus erat *Joannes 22.* ſi (ut aliqui volunt) erronee defenſavit, animas juſtorum ante univerſalem reſurrectionem Deum clare non viſuras; ipſi enim non deerant (ſaltem apparenter) gravia fundamenta.

XVII. Propoſitio ſcandaloſa ea eſt, quæ per ſe occaſionem præbet ruinæ ſpiritualis proximo, vel inclinando eum ad peccata, vel avertendo ab exercitio virtutum. Scandalum enim (apud grammaticos) eſt offendiculum, quod poſitum ante pedes alicujus cauſa eſt, ut cadat. Ut autem popoſitio ſit ſcandaloſa; ſatis eſt, ut per ſe nata ſit parere ruinam ſpiritualem proximi, licet per accidens, nempe ex parte ſubjecti eam non pariat. Inſuper propoſitio ſcandaloſa, ut diſtinguitur ab aliis, debet eſſe talis, ut in ea nec hæreſis, neque falſum dogma notari poſſit, alias confunderetur cum propoſitione hæretica, vel erronea. Ut ſi quis diceret, multa ſequi incommoda ex jejuniis Eccleſiaſticis, ex votis, ex peregrinationibus, ex confeſſione auriculari, quibus homines arceri poſſunt ab exercitio talium operum: vel ſi diceret: Sanctos myſticos excluſiſſe a ſtatu animarum unitarum exercitia virtum, ut impie aſſerebat Michael de Molinos.

Propoſitio piarum aurium offenſiva dicitur ea, quæ aliquid abſonum, & ſubjecto, de quo loquitur, indignum, enunciat, quo audientes offenduntur. Dicitur offenſiva aurium, non propter ſenſum, quem continet, ſed propter modum, quo ſenſum exprimit. Dicitur offenſiva aurium, non quarumcumque, ſed piarum, quod enim alii offendantur, ſicut olim Phariſæi offendebantur de Chriſti doctrina, & modo loquendi, non eſt curandum. Inſuper, an propoſitio aliqua ſit piarum aurium offenſiva, non eſt penſandum ab hominibus, piis quidem, ſed indoctis, qui ſæpe ex imperitia, vel ſtolida pietate offenduntur ex propoſitione ſuapte natura non offenſiva. Neque enim in ferendo judicio de aliqua propoſitione, conſuli debet promiſcuum vulgus ut bene notat Melch. Canus *lib. 12. laudato cap. 11.* ſed ii, qui pietati doctrinam conjunxerunt. Si enim turba nobis lex eſſet, Evangelii verba fuiſſent piarum aurium offenſiva; Turbæ enim aliquando Chriſti verbis turbatæ ſunt, immo etiam diſcipulis durus erat illius ſermo. Multaque alia (proſequitur Canus) offenſiva dici deberent, quæ non ſunt, ſi plebis judicium audiendum eſſet. Debet inſuper propoſitio offenſiva piarum aurium continere aliquid abſonum, & indecorum ſubjecto, de quo eſt, qualis eſſet ea, quæ indecora de Deo, aut Sanctis (licet non falſo) enunciaret. Sicut ſi de partu Virginis loquens, aliqua indecora miſceret, vel actiones humanas Chriſti, aut partes, & membra corporis ejus turpibus explicaret vocibus.

XIX. Male ſonans propoſitio, licet a Melch. Cano loco citato conjungatur cum offenſiva piarum aurium, ab aliis tamen ab ea ſecernitur, & dicitur illa, quæ incongrue, & inordinate Theologice loquitur, itaut licet verum ſenſum habeat, Theologice tamen male ſonet. Quare ſi quis diceret, in Deo ſunt tres eſſentiæ relativæ, ſenſus Catholicus eſſet, ſed Theologice loqueretur incongrue, & inordinate, quia uteretur nomine *eſſentia* ad ſignificandum relativum, quo Divinæ Perſonæ diſtinguuntur, contra bonam Theologiam, eo utentem ſolum ad ſignificandum abſolutum, & naturam, in qua ſunt unum.

Propoſitio male ſonans ab Juenin, & aliis ſic explicatur, quod ſit illa, quæ duos habet ſenſus, unum congruum fidei, alterum incongruum; itaut ab audientibus ſæpe in malam partem, ſeu in ſenſum fidei incongruum trahatur. Sic hæc propoſitio, *Chriſtus eſt minor Patre* abſolute prolata, licet Catholice ſenſum faciat, eſſe minorem Patre quantum ad humanitatem, juxta dictum Chriſti: *Pater major me eſt;* quia tamen alium ſenſum facit, quod Chriſtus abſolute, & quantum ad ſuppoſitum ſit minor Patre, ideo abſolute prolata male ſonans dici poteſt.

XX. Simplicium ſeductiva illa eſt, quæ ſub ſpecie pietatis, vel prætextu boni errorem tegens, apta eſt ſimplicium mentes ſeducere; hujus generis fuerunt plures, quibus Michael de Molinos, ejuſque aſſeclæ, ſimplices ſeducebant. Quo

etiam

etiam pacto Ariani Catholicos ſimplices in Concilio Ariminenſi decipere tentarunt. Ut enim eos inducerent ad ſubſcribendum ſub ſpe futuræ pacis, formulæ, quam ipſi ſubdole ediderant, dixerunt, Filium Dei eſſe *homiuſion* Patri. Quare Catholici ſimplices, putantes, vocem *homiuſion* eamdem eſſe, ac iſtam *homouſion*, hoc eſt *ejuſdem ſubſtantiæ*, ſeu *conſubſtantialem*, & non Creaturam, plures ſubſcripſere. Sed ſe deceptos agnoverunt, dum noverunt, hac voce *homiuſion* Filium non *ejuſdem*, ſed *ſimilis* tantum *ſubſtantiæ* cum Patre, & vere creaturam, Arianos intellexiſſe, & conſequenter non Catholicum, ſed Hæreticum ſenſum fallaciter obtruſiſſe.

XXI. Schiſmatica ea eſt, quæ aperit viam diviſioni, & ſciſſioni corporis myſtici Eccleſiæ, ſeu quæ fideles ab unitate Eccleſiæ retrahit, vel ab obedientia ſuperiorum. Sicut ſi quis diceret, Benedictum XIII. non eſſe legitime electum, nec verum Papam, eique non eſſe obediendum. Sicut Henricus VIII. Angliæ Rex, dum ſuo Edicto declaravit, ſe in ſuo Regno eſſe Supremum, tum in Temporalibus, tum in Spiritualibus Caput, & Gubernatorem, præcipiens, ne ullum extra Angliam, ſuperiorem Angli agnoſcerent.

XXII. Injurioſa propoſitio eſt, quæ facit injuriam alicui perſonæ, vel ſtatui. Dico alicui perſonæ, vel ſtatui, quia ſi eſſet in Deum, vel Sanctos eſſet impia, & blaſphema. Sic ſi quis diceret, hunc, vel illum ſtatum Monaſticum eſſe diſſolutionibus plenum, nec eſſe viam ad ſalutem, ſed ad perditionem, injurioſe loqueretur.

XXIII. Impia porro, ſeu blaſphema propoſitio eſt, quæ Deo, Deiparæ, aut Sanctis eſt injurioſa, vel quia negat perfectiones eis debitas, vel tribuit eis defectus, & imperfectiones indebitas; Ut ſi quis videns, in hoc mundo bonos ſæpe affligi, malos autem in deliciis vivere, Deum vocaret injuſtum; Si quis Deiparæ virginitati perpetuæ aliquomodo detraheret; ſi quis de Apoſtolis infanda evomeret, quod fuerint homines nequam, & ſimilia. Blaſphema etiam habenda eſt, nedum hæretica, ex damnatis 5. propoſitionibus Janſenianis prima, nimirum *aliqua Dei præcepta hominibus juſtis, volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent, vires, ſunt impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibilia fiant*. Facit enim Deum injuſtum legiſlatorem, qui præcipit ea, quæ impoſſibilia ſunt, etiam volentibus, nec dat vires, unde poſſint. Quia tamen blaſpemia ſæpe conjungitur cum hæreſi, vel cum errore, vel cum ſuſpicione hæreſis, dividi poteſt in hæreticalem, erroneam, & de hæreſi ſuſpectam; quare aliquibus hæc cenſura non videtur ſpecialis, cum poſſit cuicumque fere alteri cenſuræ conjungi.

XXIV. Judaica propoſitio eſt, quæcumque de Chriſto ſentit cum Judæis, qualis eſſet illa, quæ Meſſiam nondum veniſſe, vel adhuc venturum enunciaret.

XXV. Pagana eſt, quæ cum Paganis plures Deos admittit, qualis eſt iſta, *dii te perdant*.

XXVI. Athea e contra eſt, quæ cum Atheis Deum eſſe negat, qualis eſt illa *Pſalm. 13. verſ. 1. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*. Qualis & quælibet alia, quæ omnem prorſus religionem, & cultum tolleret; ſublata enim quacumque religione, tollitur etiam Deus, cum nulla fuerit unquam religio, quæ cultum Deo, ſive vero, ſive falſo non exhibuerit; quare, qui religionem habet nullam, nullum Deum pariter habere cenſendus eſt. Hinc Atheus fuit miſer ille Carthesianæ Sectæ Philoſophus, vir natione Judæus, *Eſpinoſa* nomine, qui calcata Judaica religione, *Tractatum Theologicopoliticum* ſcripſit unum, ad hoc unice tendens, ut omnem aboleret religionem, liberum cuique vivendi modum permittens, ut purum atheiſmum inſinuaret.

XXVII. Quæres primo. Quid ſit propoſitio improbabilis?

Dico, eam eſſe, quæ nullo, aut Scripturæ, aut traditionis, aut rationis Theologicæ pondere firmatur: probabilitas enim in rebus fidem, vel mores ſpectantibus, uni ex dictis tribus inniti debet.

XXVIII. Quæres ſecundo. An propoſitio improbabilis fundet ſpeciem cenſuræ a temeraria diſtinctam?

Reſpondeo, quod ſi propoſitio improbabilis ſit, quia non ſolum deſtituitur auctoritatis, & rationis pondere, ſed etiam profertur animo ſeſe opponendi communi Theologorum placito, ad cenſuram temeritatis ſpectat. Si vero improbabilis ſit; quia præciſe aſſeritur abſque ullo fundamento, non autem animo contradicendi communi Theologorum voto, cenſura temeritatis inurenda non eſt, quia locutio temeraria, non ſolum eſt locutio imprudens, qualis eſt illa, quæ ſine fundamento auctoritatis, & pondere rationis profertur, ſed etiam debet eſſe ex contemptu regulæ dirigentis, ut ſupra dictum eſt, ſeu, quia ſic loquens, dictis ſapientum non vult acquieſcere: quod tunc dignoſcitur, quando non ſolum ſuam opinionem profert, ſed & contrariam, & communem refutare conatur.

XXIX. Quæres tertio. An qui privato ſpiritu propoſitionem aliquam (alias probabilem) notat cenſura gravi, cenſuram incurrat?

Reſpondeo cum diſtinctione. Vel enim propoſitio illa unanimi ſenſu Theologorum, ut probabilis admittitur. Et ſic, qui illam cenſurare auderet, incurreret notam gravis temeritatis: quia abſque gravi rationis fundamento ſeſe opponere unanimi ſenſui Theologorum, nota temeritatis eſt. Vel propoſitio illa apud aliquos probabilis eſt, apud alios vero improbabilis, & ſic nullam cenſuram incurrit. Conſtat ex praxi ſanctæ Sedis, ad quam quotieſcumque delatæ ſunt hujuſmodi querelæ de cenſuris hinc inde latis ſuper propoſitionibus inter Theologos controverſis, ut in materia de efficacia gratiæ, de probabilitate, de diſpoſitione ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel aliis ſimilibus, nil aliud facere conſuevit, quam utrique parti ſilentium indicere, donec ſancta Sedes ſuper his judicium ſuum protulerit.

Vetat tamen Innocentius XI. in ſuo decreto, quo 65. propoſitiones proſcripſit, ne quiſquam privata auctoritate audeat propoſitionem aliquam cenſura notare, cum hujuſmodi judicium ſoli ſanctæ Sedi reſervetur. Verba Decreti ſunt: *Tandem, ut ab injurioſis contentionibus Doctores, ſeu Scholaſtici, aut alii quicumque impoſterum ſe abſtineant, & ut paci, & charitati conſulatur; idem Sanctiſſimus in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuſcriptis, quam in theſibus, diſputationibus, ac prædicationibus, caveant ab omni cenſura, & nota, necnon a quibuſvis conviciis contra eas propoſitiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a ſancta Sede recognitæ, ſuper iiſdem propoſitionibus judicium proferatur.* Quibus verbis præceptum continetur, ſed nulla cenſura contrafacientes notantur. Verum, ut plenius de hac materia juvenis candidatus inſtrui poſſit, ponitur

DUBIUM VI.

An omne dogma Catholicum ſit fidei dogma, & an omne Fidei dogma ſit articulus Fidei.

§. I.

Reſolvitur prima pars.

I. Dubium iſtud excitat Annatus *lib. 1. Apparat. art. 7.* quia (inquit) Catholici dogmatis nomine decipi communiter ſolent Tyrones non pauci, arbitrantes nimirum, nihil omnino dogma Catholicum dici poſſe, niſi ſit fidei dogma. Propterea ſtatuit, dogma Catholicum generice, & late ſumptum, nihil aliud eſſe, quam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, ſeu doctrinam, quæ licite, & citra cenſuram in Catholica tenetur Eccleſia. Hoc ſuppoſito.

II. Dicit. Dogma Catholicum hoc modo acceptum triplex eſſe, aut dici poſſe, videlicet imperatum, liberum, & toleratum. Dogma imperatum eſt doctrina, quam Catholica Eccleſia ſic profitetur, ut cunctis eam fidelibus proponat cum obligatione eam tenendi, & credendi. Liberum vero eſt doctrina; quam liberum eſt cuique tenere, vel non tenere, qualis eſt doctrina, quæ nec de fide eſt, nec fidei nociva, aut moribus, ideoque vocatur doctrina libera. Toleratum vero dogma illud eſt quod in Eccleſia Catholica toleratur, nimirum permittitur cuique, illud tenere, vel non tenere, quia nondum ſatis notorie fidei nocivum, vel erroneum, aut hæreticum deprehenditur; & talis eſt quæcumque doctrina, quæ a multis licet impugnata, & rejecta, nondum tamen eſt Eccleſiæ judicio damnata: & hæc dicitur tolerata.

III. Ex his ſolum Dogma Catholicum imperatum, eſt vere, & proprie dogma Catholicum, & dogma Fidei; reliqua vero duo, liberum nimirum, & toleratum ſolum generice, & late Catholici dogmatis nomine appellantur, nec fidei dogmatis nomenclatura donari poſſunt. Et probatur. Illud enim ſolum proprie dogma Catholicum, & Fidei, eſt, quod ita Eccleſia docet, ut imperet omnibus fidelibus credi, & teneri, & ſi quis tenere, aut credere refragetur, illum a ſe ejiciat, tanquam alienum, & hæreticum. Sed Eccleſia id ſolum præcipit de dogmate imperato; alia enim, vel libera relinquit, vel in utramque partem tolerat, & ſuſtinet: ergo ſolum dogma imperatum dogma fidei eſt, & ſtricte dogma Catholicum. Quid enim aliud vox *Catholicum*, ſonat, niſi *univerſale*? unde Vincentius Lirinenſis in ſuo Commonitorio *1. cap. 3. id* (inquit) *proprie Catholicum eſt; quod ubique, quod ſemper, quod ab omnibus creditum eſt*.

IV. Dogmatis Catholici imperati, & propoſiti omnibus cum obligatione illud credendi tamquam fidei dogma, ſequentia exempla produci poſſunt.

1. *Quod Deus ſit unus in eſſentia, ſolus, & non multiplex*: contra Polytheos.

2. *Quod ſit trinus in Perſonis realiter diſtinctis, Patre, Filio, & Spiritu Sancto*: contra Sabellianos.

3. *Quod Chriſtus Dominus ſit Dei Patris Æterni Filius, eique ſubſtantialis*: contra Arianos.

4. *Quod Spiritus Sanctus ſit pariter Deus cum Patre, & Filio coadorandus*: contra Macedonianos.

5. *Quod duæ in Chriſto ſint naturæ* (contra Eutichianos, *duæ voluntates*: contra Monothelitas) *una tamen Perſona, & hæc Divina*: contra Neſtorianos.

6. *Quod in Sacramento Euchariſtiæ realiter ſit Chriſti Corpus, & Sanguis*; quod *Miſſa ſit verum Sacrificium*, quod *Purgatorium exiſtat poſt hanc vitam iis, qui non penitus purgati deceſſerunt*; quod *pium, bonum, & utile ſit Sanctos invocare*, & alia ſimilia fidei dogmata, quæ omnibus fidelibus credenda proponit, & præcepit Catholica Eccleſia, contra recentiores hæreticos Lutheranos, & Calviniſtas.

V. Dogmatis vero liberi exempla ſunt.

1. *De impoſſibilitate, vel poſſibilitate mundi ab æterno.*

2. *De futuro, vel non futuro Chriſti adventu, ſi Adam non peccaſſet.*

3. *De eterna hominum prædeſtinatione ante, vel poſt præviſa merita.*

4. *De efficacia gratiæ, ſive ab intrinſeco, ſive tantum ab extrinſeco, & ex præviſione conſenſus futuri*, ideoque de *non admittenda, vel admittenda in Deo ſcientia media.*

5. *De admittenda, vel non admittenda inter divina attributa diſtinctione formali Scotiſtica, vel Thomiſtica virtuali.*

Iſtæ, aliæque ſimiles doctrinæ, quæ in Scholis Catholicis circum-

cum-

feruntur, quas tenendi, vel repudiandi libera cuique in Eccleſia facultas, dogmata Catholica, ideſt libera vocari poſſunt.

VI. Dogmatis vero tolerati exempla fuerunt olim. Primo Doctrina de millenario Chriſti in terris regno, poſt reſurrectionem, & judicium extremum futuro, quam tenuiſſe dicuntur (ex Papia primo inventore) S. Juſtinus martyr, & Irenæus, quæque in Eccleſia tolerata fuit, uſque ad Damaſi Papæ tempora.

Secundo, doctrina de non valido hæreticorum Baptiſmo, quæ tolerata fuit uſque ad tempora Concilii Nicæni I. vel, ut alii volunt, Arelatenſis.

Tertio, Doctrina de dilata juſtorum viſione beatifica ad extremum uſque judicii diem, quæ tolerata fuit in Eccleſia uſque ad tempora Benedicti XII. & Concilii Florentini, a quo, ſicut & a Tridentino damnata fuit, ut hæretica.

Iſtæ, aliæque doctrinæ, quæ olim toleratæ fuerunt in Eccleſia Catholica, aliæ etiam, quæ forte hodie tolerantur, antequam Eccleſia de iis judicium proferat, dici poſſunt Dogma Catholicum toleratum.

VII. Hæc ex Annato delibata ſunt, qui non improbabiliter diſcurrit. Cæterum niſi abuſive loqui velimus, & dogmatis Catholici nomen a ſua vera diſtrahere ſignificatione, ſolum dogma, quod Eccleſia Catholica univerſim profitetur, & docet, quodque omnibus fidelibus credendum, ac tenendum proponit, ac præcipit, itaut qui illud tenere, ac credere recuſaverit, Catholicus non ſit, ſed Hæreticus, vere dogma Catholicum eſſe, ac dici debere cenſeo: ideoque idem eſſe dogma Catholicum, ac dogma Fidei, & pro eodem reputandum concludo. Movet me, quia *dogmata* proprie dicuntur ea, quæ in unaquaque Secta, aut Religione, decreta, & ſtatuta ſunt: ſicque artes, & ſcientiæ propria *dogmata* ſibi vindicant, quæ a profeſſoribus illius artis, vel ſcientiæ, ut certa, & inconcuſſa tenentur. *Dogma* enim idem eſt, ac *Regula*, ſeu *Canon*. Quare D. Auguſtinus *lib. 1. quæſt. Evang. quæſt. 11. Dogmata autem*, inquit *ſunt placita Sectarum, ideſt, quod placuit ſingulis Sectis*. Ex quo fit, quod dogma catholicum apud Theologos proprie illud ſolum dicendum ſit, quod eſt placitum univerſæ Eccleſiæ, & tenetur ab omnibus tamquam regula certa, ſive fidei, ſive morum. Unde Theologia Dogmatica dicitur illa, quæ dogmata orthodoxa exponit, eaque tuetur contra hæreticos, aut aliorum dogmatum ſectatores: & dogma eſſe illud, quod ſpectat ad fidem, dicit Gloſſa in *Canon. Omnes diſt. 3.* & rurſus *25. quæſt. 2. cap. Si quis dogmata*, anathema pronunciatur, qui dogmata Sedis Apoſtolicæ contempſerit. Quapropter Theophylus Alexandrinus *Lib. Paſchali 1.* apud D. Hieronymum *tom. 4. edit. Maurinæ pag. 692. Neque*, inquit, *Cæleſtium poſſunt recipere Sacramenta Verborum, qui Divinis Eccleſiæ dogmatibus contradicunt*. Quod ſi Annatus nomine *dogmatis* ſumat *doctrinam* vage, non diſſentiar: ſed hoc eſt ſumere *dogma* minus proprie.

§. II.

Reſolvitur ſecunda pars.

UT quæſitum hoc reſolvatur, in quo quæritur, an omne id, quod eſt de fide, ſeu dogma fidei, ſit articulus fidei, ſeu an conſtituat ſpecialem fidei articulum, examinandum prius eſt, quid ſit articulus fidei, & quid requiratur ad conſtituendum ſpecialem articulum fidei.

VIII. Et quidem ſi admittatur definitio Richardi Victorini definientis articulum fidei, quod ſit *indiviſibilis veritas de Deo arctans nos ad credendum*, concludi debebit, quod, cum omnis veritas de fide, ſeu revelata arctet nos, & obliget ad credendum, omnis veritas, ſeu dogma fidei, eſſet articulus fidei.

IX. Verum quia, ut ait S. Thomas *2. 2. quæſt. 1. art. 6. ad 3. illa definitio datur de articulo magis ſecundum quandam etymologiam nominis, prout habet derivationem latinam, quam ſecundum ejus veram ſignificationem, prout a Græco derivatur, unde non eſt magni ponderis*: Ideo articulus fidei aliter definitur ab aliis poſt S. Thomam, quod articulus fidei eſt *Principalis fidei veritas omnibus ad explicite credendum propoſita, & diſtinctam continens difficultatem*. Ratio hujus eſt, quia, ut docet S. Thom. laudato *art. 6. in corpor.* cum de ratione objecti fidei ſit, ut ſit quid obſcurum, & inevidens, & proinde ad videndum difficile; ſequitur, quod ubi ſunt fidei objecta, quæ diverſas ad videndum difficultates, ſeu dubitandi rationes afferunt, illa diverſos conſtituunt fidei articulos; & e contra, ubi ſunt diverſa fidei objecta, quæ non plures, ſed unam & eamdem difficultatem offerunt, non plures conſtituunt, ſed ad eumdem revocari debent fidei articulum. Sic v. g. iſta tria, *Paſſio, Mors, & Sepultura Chriſti*, quia non tres difficultates offerunt, ſed unam tantum, cum, Chriſti Paſſione jam cognita, & credita, facile cognoſcantur, & credantur ejuſdem *mors*, ac *ſepultura*: ideo hæc tria fidei noſtræ objecta non tres conſtituunt, ſed ad unum revocantur fidei articulum. Et quia e contra *Reſurrectio Chriſti* ſpecialem, ac diſtinctam difficultatem offert, ideo ſpecialem, ac diſtinctum conſtituit fidei articulum. Verba S. Thom. *art. 6.* laudato in Corp. ſunt hæc. *Eſt autem objectum fidei aliquid non viſum circa divina, ut ſupra dictum eſt, & ideo, ubi occurrit aliquid ſpeciali ratione non viſum, ibi eſt ſpecialis articulus: ubi autem multa ſecundum eamdem rationem ſunt cognita, vel non cognita, ibi non ſunt articuli diſtinguendi, ſicut aliam difficultatem habet ad credendum, quod Deus ſit paſſus, & aliam quod mortuus reſurrexerit, ideo diſtinguitur articulus Reſurrectionis ab articulo Paſſionis. Sed quod ſit paſſus, mortuus, & ſepultus, unam & eamdem difficultatem habent, ita quod, uno ſuſcepto, non eſt difficile alia ſuſcipere, & propter hoc omnia hæc pertinent ad unum articulum.*

X. Inſuper ex eodem D. Thom. citato *art. 6. ad 1.* Veritates revelatæ, aliæ ſpectant ad fidem ſecundum ſe, & principaliter, tanquam fundamentales Fidei Chriſtianæ, ideoque ab omnibus, & ſingulis explicite credendæ, tanquam ad ſalutem neceſſariæ, quia ea ſunt, quæ principaliter ſperamus videre in Patria, ut ſunt, Deus trinus, & unus, Filius Dei incarnatus, &c. Aliæ ſunt, quæ ſpectant ad Fidem tanquam appendices, & conſequentes ad præfatas veritates principales, ad quas reducuntur. Articuli ergo Fidei diſtingui debent, non ſecundum has, ſed ſecundum illas. *Aliqua ſunt credibilia* (ait D. Thom.) *de quibus eſt fides ſecundum ſe . . . . . & ſecundum iſta diſtinguuntur articuli Fidei . . . . . Aliqua vero ſunt credibilia, de quibus non eſt fides ſecundum ſe, ſed ſolum in ordine ad alia . . . . & ſecundum talia non oportet articulos diſtinguere*. Quænam autem ſint credibilia, de quibus eſt fides ſecundum ſe, exponit D. Thom. ibid. *Fides eſt principaliter expreſſe de his, quæ videnda ſperamus in patria*, juxta illud Pauli *Hebr. cap. 11. verſ. 2.* dicentis: *Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum*, & ea, quæ videnda ſperamus in patria, *ſunt tres Perſonæ Omnipotentis Dei, Myſterium Incarnationis Chriſti, & alia hujuſmodi.*

XI. Dico ergo, non omnia fidei dogmata conſtituunt ſpecialem articulum Fidei, ſed ſolum ea, quæ principaliter pertinent ad Fidem, utpote, quæ ſperamus videnda in Patria; vel quæ, ut credantur, ſpecialem afferunt difficultatem. Itaque articulos Fidei poſſumus partiri quaſi in duas Claſſes generales. Primam conſtituit Deus, ut eſt in ſe; & in iſta continentur omnes Articuli ſpectantes ad Unitatem, & Trinitatem Dei. Secundam conſtituit Deus proviſor, Deus remunerator; & in iſta continentur omnes articuli ſpectantes ad incarnationem, Mortem, & Reſurrectionem Filii Dei, ad vitam æternam, & media conducentia ad illam: Has duas claſſes inſinuavit Paulus *ad Hebr. 11. verſ. 6.* ubi poſtquam dixit, ſine fide impoſſibile eſſe placere Deo, addit: *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit*. Et Chriſtus ipſe *Joann. 17. verſ. 3. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.*

Aſſertio ſic explicata pro prima parte patet ex dictis. Nam illæ ſolæ veritates fidei conſtituunt capita, & claſſes articulorum, ſeu credendorum, de quibus ſecundum ſe, atque primario fides eſt, quia ſunt fundamenta rerum ſperandarum; hæ autem ſunt veritates concernentes, vel Deum in ſe, vel Deum Incarnatum, ac Remuneratorem; quare iſtæ omnibus ſcitu neceſſariæ ſunt, & omnibus ad credendum explicite proponuntur. In iſtis autem duabus claſſibus illæ ſolæ veritates articulos fidei diſtinguunt, quæ novam rationem non habent ſeu novam difficultatem ad credendum offerunt; ut ex D. Thom. dictum eſt.

XII. Secunda vero pars ſuadetur ex dictis: quia veritates, quæ nec ſunt directe, & per ſe fidei baſis, & fundamentum, neque novam ingerunt difficultatem, reducuntur ad aliquam aliam, ex qua dependentiam, aut connexionem habent; ergo non eſt, cur conſtituant novum articulum, ſed reducuntur ad articulum, in quo continentur, vel ad quem ſpectant. Sicut in corpore naturali non omnia, quæ in illo ſunt, proprie ſunt corporis artus, & membra; ſed membra, & artus dicuntur ſolum partes principales, quæ corporis ſubſtantiam conſtituunt, quæque exercent peculiare ac diſtinctum officium; alia vero, quæ in corpore ſunt, in aliquo ex membris continentur, illique inſerviunt. Addo: multas veritates fidei eſſe, quas explicite ſcire, & credere, non omnibus, & ſingulis neceſſarium eſt ad ſalutem, ſive neceſſitate medii, ſive præcepti, ſed ſatis eſt, ut ſciantur a Doctoribus, & Paſtoribus; ſed articulos fidei proprie tales, ab omnibus explicite ſciri, & credi neceſſe eſt; ergo non omnes &c.

XIII. Neque juvat, ſi dicas, nulla eſt fidei veritas, quam quiſque fidelis non teneatur credere ſub pœna hæreſis; ergo nulla eſt fidei veritas, quæ non ſit articulus fidei proprie dictus.

Nam reſpondeo ex dictis negando conſeq. ut enim veritas fidei ſit articulus fidei proprie talis, ſatis non eſt, ut fidelis quiſque teneatur illam credere ſub pœna hæreſis, ſed requiritur ulterius, ut ſit veritas fidei principalis, explicite credenda, & ſpecialem addens difficultatem in credendo, nec poſſit reduci ad fidei articulum aliquem: quod non convenit omnibus, & ſingulis veritatibus, ut dictum eſt; quare claritatis gratia diſtinguo conſequens: ſit articulus fidei, vel reducatur ad aliquem fidei articulum; conc. conſequentiam: conſtituendo ſpecialem fidei articulum; nego conſequentiam. Iſtæ enim veritates, quod Chriſtus pannis fuerit involutus, quod fuerit in Præſepio poſitus, quod octavo die fuerit circumciſus, quod fuerit adoratus a Magis, quod Magi apertis Theſauris, aurum, thus, & mirrham ei obtulerint, omniaque in Evangelio contenta, concernentia Nativitatem, prout ibi relata, ſunt veritates fidei; ſed numquid hæ conſtituunt ſpeciales articulos? nequaquam. Omnes quippe reducuntur ad articulum de Chriſti Nativitate. Idem de ſingulis dicito, quæ in Scripturis narrata, & prout ibi dicta fide divina credenda, nec tamen articuli fidei dicenda ſunt. Immo in Sacra Scriptura multa continentur, quæ nec pertinent ad Religionem, nec ad Doctrinam Chriſti. *Geneſis* enim *6. verſ. 15.* dicitur de Arca, *trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius*. *Joann. cap. 2. verſ. 6.* quod Hydriæ lapideæ poſitæ

in Nuptiis Canæ, fuerint *capientes ſingulæ metretas binas, vel ternas*. 4. *Reg. cap.* 6. *verſ.* 25. quod in obſidione Samariæ tanta fuerit olim ciborum penuria, ut *quarta pars cabi ſtercoris columbarum quinque argenteis venundaretur*, aliaque ſimilia, ut de Cane Tobiæ cauda plaudente, *Tobiæ cap.* 11. *verſ.* 9. de Penula D. Pauli relicta Troade, quam ut ad ſe afferret, ſcripſit Timotheo 2. *ad Timoth. cap.* 4. *verſ.* 13. Quare cum D. Thom. 1. *part. quæſt.* 32. *art.* 4. *in Corpore*, dicendum eſt, *ad fidem pertinere* poſſe aliquid dupliciter, videlicet directe, & indirecte. Et ad fidem directe pertinere dicuntur, *quæ nobis ſunt principaliter divinitus tradita, ut Deum eſſe trinum, & unum, Filium Dei eſſe incarnatum, & hujuſmodi . . . . indirecte vero ad fidem pertinent ea, ex quibus negatis conſequitur aliquid contrarium fidei; ſicut ſi quis diceret, Samuelem non fuiſſe filium Helcanæ, ex hoc enim ſequitur, Scripturam Divinam eſſe falſam.*

XIV. Concludit ergo idem S. Doctor 2. 2. *quæſt.* 1. *art.* 8. *in corp. quod ſicut dictum eſt, illa per ſe pertinent ad fidem, quorum viſione in vita æterna perfruemur, & per quæ ducemur ad vitam æternam. Duo autem nobis videnda proponuntur, ſcilicet occultum divinitatis, cujus viſio nos beatos facit, & myſterium humanitatis Chriſti, per quod in gloriam Filiorum Dei acceſſum habemus, ut dicitur Rom.* 5. *Unde dicitur Joann.* 17. hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. *Et ideo prima diſtinctio credibilium eſt, quod quædam pertinent ad Majeſtatem Divinitatis; quædam vero pertinent ad Myſterium Humanitatis Chriſti quod eſt* pietatis Sacramentum, *ut dicitur* 1. *ad Timoth.* 4. Articuli ergo fidei primo dividuntur in articulos pertinentes ad divinitatem, & articulos pertinentes ad Incarnationem, ſeu Chriſti humanitatem.

XV. Proſequitur deinde S. Doctor. *Circa majeſtatem autem divinitatis tria nobis credenda proponuntur. Primo quidem unitas divinitatis: & ad hoc pertinet primus articulus. Secundo, Trinitas Perſonarum: & de hoc ſunt tres articuli ſecundum tres Perſonas. Tertio vero proponuntur nobis opera divinitatis propria, quorum primum pertinet ad eſſe naturæ; & ſic proponitur nobis articulus creationis. Secundum vero pertinet ad eſſe gratiæ: & ſic proponuntur nobis ſub uno articulo omnia pertinentia ad ſanctificationem humanam. Tertium vero pertinet ad eſſe gloriæ: & ſic proponitur nobis alius articulus de Reſurrectione Carnis, & de Vita Æterna, & ita ſunt ſeptem articuli ad Divinitatem pertinentes.*

XVI. *Similiter etiam circa humanitatem Chriſti ponuntur ſeptem articuli. Quorum primus eſt de Incarnatione, ſive de Conceptione Chriſti. Secundus de Nativitate ejus ex Virgine. Tertius de Paſſione ejus, & Morte, & Sepultura. Quartus eſt de deſcenſu ad Inferos. Quintus eſt de Reſurrectione. Sextus de Aſcenſione. Septimus de adventu ad Judicium. Et ſic in univerſum ſunt quatuordecim.*

Addit tamen, *quod quidam diſtinguunt duodecim Articulos Fidei, ſex pertinentes ad Divinitatem, & ſex pertinentes ad Humanitatem. Tres enim articulos trium Perſonarum comprehendunt ſub uno: quia eadem eſt cognitio trium Perſonarum. Articulum vero de opere glorificationis diſtinguunt in duos; ſcilicet, reſurrectionem carnis, & gloriam animæ. Similiter articulum Conceptionis, & Nativitatis conjungunt in unum.*

XVII. Quia vero dubitari poterat, Sacramentum Euchariſtiæ, quia habet ſpecialem difficultatem præ multis articulis, ſpecialem articulum conſtituere, reſpondet ad 6. *Quod in Sacramento Euchariſtiæ duo poſſunt conſiderari. Unum ſcilicet quod Sacramentum eſt: & hoc habet eamdem rationem cum aliis effectibus gratiæ ſanctificantis; Aliud eſt, quod miraculoſe ibi Corpus Chriſti continetur, & ſic concluditur ſub omnipotentia, ſicut & omnia alia miracula, quæ omnipotentiæ attribuuntur.*

QUÆSTIO II.

De natura Theologiæ.

DE exiſtentia, utilitate, neceſſitate Theologiæ, & aliis, quæ viſa ſunt opportuna, pro primo ad eam ingreſſu, in præcedenti quæſtione actum eſt. Nunc de ejus natura, & proprietatibus inſtituendus erit ſermo, nimirum; an ſit ſcientia, & qualis; an ſubalternata Scientiæ Dei, & Beatorum: an entitative naturalis, vel ſupernaturalis; an practica; quodnam ſit ejus objectum; aliaque ad perfectam naturæ, & proprietatum Theologiæ Intelligentiam neceſſaria.

DUBIUM I.

An Theologia ſit vere Scientia.

§. I.

Quædam prænotantur.

I. DUbium præſens non excitatur de Theologia, quaſi ſecundum ſe, & objective ſumpta. Hic enim certo certius judico, eam eſſe ſcientiam, cum habeat principia certo & evidenter cognoſcibilia, nimirum divinas veritates, ex quibus ſunt deducibiles per neceſſariam illationem neceſſariæ, & evidentes concluſiones; qui modus objectivus procedendi eſt proprius modus ſcientiæ. Inſuper Theologia eſt unus ex habitibus, immo & virtutibus intellectualibus; virtutes autem intellectuales ex Ariſt. 6. *Etich. cap.* 4. & D. Thom. 1. 2. *quæſt.* 57. quinque tantum ſunt, videlicet intelligentia, ſapientia, ſcientia, prudentia, & ars. Intelligentia verſatur circa prima principia, & quidem abſque diſcurſu. Hinc iſta duo, *quodlibet eſt, vel non eſt, bonum eſt amandum, malum eſt fugiendum*, ſunt objectum intelligentiæ. Sapientia agit de rebus, non per proximas earum cauſas, ſed per altiores, & univerſales: ſic ſapiens dicitur Legiſlator, qui in ferendis legibus procedit reſpiciens ad cauſas altiores, & univerſales, nempe bonum, & tranquillitatem Reipublicæ, potius quam ad privatum bonum, & commodum hujus, vel illius perſonæ. Scientia vero (ut a Philoſophis definitur) eſt habitus certus, & evidens per demonſtrationem acquiſitus, ſeu procedens ex cauſis proximis. Prudentia vero agit circa ea diſponenda, quæ hic & nunc, ſeu in particularibus circumſtantiis agenda ſunt; an ſcilicet in præſenti rerum ſtatu bellum in hoſtes movendum ſit, an paci ſtudendum. Ars tandem verſatur circa factibilia, ſeu circa opera, quæ per potentias externas, manus, pedes, fieri ſolent. Atqui Theologia ſecundum ſe ſpectata non eſt intelligentia: non enim verſatur circa principia immediate. Non eſt prudentia cum non tractet de ordinandis iis, quæ in particularibus circumſtantiis agenda ſunt. Multo minus eſt ars, quia non verſatur circa factibilia per externas potentias, ergo erit, vel ſcientia, vel ſapientia.

Nec refert, quod agat de ſingularibus. Nam per ſe agit de Deo, qui ſingularis quidem eſt, ſed ſumme neceſſarius. In tantum autem habitus, qui per ſe verſatur circa ſingularia, ſcientificus eſſe non poteſt, quia hæc cum in continuo fluxu, & contingentia ſint, certam ſui cognitionem fundare non poſſunt, ut ad ſcientiam requiritur. Licet autem agat etiam de ſingularibus præter Deum, de iis agit, inquit D. Thom. hac *quæſt.* 1. *art.* 2. *ad* 2. *non quia de his principaliter tractetur, ſed introducuntur, tum in exemplum vitæ, ſicut in ſcientiis moralibus; tum etiam ad declarandam auctoritatem virorum, per quos ad nos revelatio divina proceſſit, ſuper quam fundatur Sacra Scriptura, ſeu Doctrina.*

II. Dubium ergo procedit de Theologia ex parte ſubjecti, ſeu prout eſt in tali, vel tali ſubjecto, an vere poſſideat conditionem, & naturam ſcientiæ. Poteſt autem Theologia reperiri in duplici ſubjecto; vel in Beato, ſive Angelo, ſive Homine, vel in Viatore. Et quidem Theologiam prout in Beato eſſe ſcientiam, extra controverſiam eſſe debet, quia beatus ex principiis clare, & certo viſis in verbo, (quæ nos viatores credimus) alia neceſſario concludit; quare beato tum concluſiones, tum earum principia ſunt certo, ac evidenter cognita. Quæſtio tota reducitur ad Theologiam, prout in nobis viatoribus eſt: Cum illi deſit actualis evidentia, ſeu cognitio evidens principiorum, quæ, cum ſint articuli fidei, a nobis non videntur, ſed fide divina creduntur. Fides autem, cum ſit argumentum non apparentium, eſt de non viſis.

III. Scotus, quem refert, & ſequitur Fraſſen *diſp.* 1. *proœm. art.* 2. *quæſt.* 2. negat, Theologiam Viatorum eſſe vere, & proprie ſcientiam, eo quod deſit illi actualis evidentia, tum principiorum, tum concluſionum; quam dicit eſſe conditionem neceſſariam ad ſubſtantiam ſcientiæ. Thomiſtæ vero cum D. Thom. hac *quæſt.* 1. *art.* 2. & *in* 1. *ſent. ad Annibald.* cenſet, Theologiam Viatorum eſſe proprie quoad ſubſtantiam, eſto non habeat omnem perfectionem accidentalem, quam petit habere. Supponunt enim quod, ſicut homo, dum eſt adhuc puer, eſt quidem vere ac ſubſtantialiter homo, ſed nondum pervenit ad ſtatum perfectum, in quo erit, dum fiet adultus: ita Theologia, dum eſt in Viatore, qui nondum videt, ſed ſolum credit, exiſtat vere & ſubſtantialiter ſcientia, nondum tamen habeat ſtatum perfectum ſcientiæ, quem habebit, dum erit in Beato. His adhæret Henno, etſi Scotiſta *diſp. proœm. quæſt.* 2. *concluſ.* 2.

§. II.

Concluſio.

IV. DIco. Theologia in Viatore eſt vere & ſubſtantialiter ſcientia; licet non habeat ſtatum perfectum, quem habet in Beato. Prima pars probatur primo ex D. Auguſt. *lib.* 14. *de Trinit. cap.* 1. ubi poſtquam dixit, Theologia fidem ſaluberrimam, quæ ad veram beatitudinem ducit, gigni, nutriri, defendi, roborari, ſubdit: *qua ſcientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipſa fide plurimum.* Hinc *Jeremiæ* 3. *verſ.* 15. appellatur ſcientia his verbis: *Dabo vobis Paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina. Sapient.* 10. *verſ.* 10. *Dedit illi ſcientiam Sanctorum.* Et 2. *Petri* 1. *verſ.* 5. *Miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam.*

V. Accedunt & rationes. Prima, nam Theologia, ut in Viatore, eſt vere & proprie virtus intellectualis, quia facit eum firmiter adhærere vero: cum ergo, ut vidimus, nec ſit intelligentia, neque prudentia, neque ars, ſi non eſt ſcientia, aut ſapientia, quid erit? Dicere enim eſſe habitum quemdam innominatum, medium inter ſcientiam, & fidem, ut (teſte Gonet) dicunt Valentia, & Vaſquez, quo fundamento aſſeritur?

VI. Secunda. Cum ſcientia ſit cognitio rei per cauſam, & quoniam illius eſt cauſa; ut aliquis ſit vere ſciens, debet certo cognoſcere cauſam, certo cognoſcere effectum, & certo cognoſcere, illam eſſe cauſam talis effectus, ſeu effectum illum procedere a tali cauſa; ſed Viator Theologus habet ſummam certitudinem de cauſis, nempe veritatibus revelatis, quas credit fide divina, habet ſummam certitudinem de concluſionibus, quas ex illis deducit: ſcit etiam certo, immo evidenter, illas concluſiones ex illis principiis deduci certo, & evidenter; unde eſto non habeat evidentiam conſequentis, neque antecedentis, habet tamen evidentiam conſequentiæ; ergo Theologus Viator certo cognoſcit rem per cauſam: ergo eſt vere ſciens.

Totum hoc confirmo hoc ratiocinio: Ad ſcientiam proprie dictam tria requiruntur. 1. Ut per illam homo habeat certitudinem de veritate principiorum. 2. De veritate concluſionum. 3. Quod habeat evidentiam conſequentiæ, ſeu connexionis, quam concluſiones habent cum ſuis principiis; Atqui hæc tria præſtat Theologia Viatoribus; ergo in his eſt vera ſcientia.

Si dices, requiri ad veram ſcientiam etiam evidentiam principiorum;

VII. Contra eſt: 1. Eſto ſcientia ſubalternans debeat procedere ex principiis a ſe evidenter notis, ſcientia tamen ſubalternata procedit ex principiis evidenter manifeſtatis in ſcientia ſuperiori, a qua ea accipit, & cui credit; ſed Theologia eſt ſcientia aliquomodo ſubalternata ſcientiæ Dei, & Beatorum; ergo non requiritur, ut habeat evidentiam ſuorum principiorum, ſed ſufficit, ut illa credat, & ſupponat evidenter cognita a ſcientia Dei, & Beatorum. Hac ratione utitur S. Thom. hac 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 2.

VIII. Contra 2. In ſcientiis mere humanis ideo requiritur evidentia principiorum, quia oportet ſcientem eſſe certum, ac prorſus immutabilem, quemadmodum dicitur *lib.* 1. *poſt. cap.* 2. in ejuſmodi autem ſcientiis talis certitudo immobilis haberi non poteſt, niſi principia evidenter cognoſcantur; neque hoc ſuppleri poteſt per teſtimonium aſſerens, ea eſſe evidenter cognita in ſcientia ſuperiori, quia hoc teſtimonium, utpote humanum, fallibile eſt: ſed Theologus abſque evidentia habere poteſt certitudinem immobilem ſuorum principiorum per teſtimonium divinum, quod ipſa evidentia certius eſt, cum, nec fallere poſſit, nec falli; ergo Theologia etiam in eo, in quo deeſt evidentia principiorum, habet quidquid requiritur ad characterem, & ſubſtantiam ſcientiæ.

Confirmo hoc ex Philoſopho ſupracitato, ubi ſignificat, ſufficere ad ſcientiam, quod principia ejus teneamus ſcientia, vel meliori habitu: atqui Theologus viator eſto non teneat principia Theologiæ per ſcientiam, quia non habet de illis evidentiam, ea tamen tenet meliori habitu, quia ea tenet per fidem divinam, quæ eſt melior ac certior habitus, quam intellectus principiorum, & per illam ſumus magis immobiles in cognitione, quam per iſtum, & per quamcumque evidentiam naturalem, ut patet 2. 2. *quæſt.* 4. *art.* 8. ergo poteſt ex illis ſic cognitis deducere concluſionem ſcientificam: ſicut enim certitudinem in aliis ſcientiis generat evidentia, ita in hac eamdem, immo & majorem, cauſat auctoritas divina. Evidentiæ igitur defectum, qui in Theologia noſtra reperitur, Deus nobis compenſat majori certitudine, quæ eſt in principiis, & concluſionibus Theologiæ propriis. Secunda vero pars noſtri aſſerti conſtat. Nemo enim eſt, qui ambigat, quin Theologia perfectiorem ſtatum habeat in eo ſubjecto, in quo cum certitudine conjunctam habet evidentiam ſuorum principiorum, & concluſionum, quam in eo, in quo habet certitudinem ſine evidentia; atqui in Viatore habet certitudinem ſine evidentia, in Beato autem certitudinem habet, & evidentiam; ergo in Viatore eſt Theologia in ſtatu minus perfecto, quam in Beato. Videri poteſt de hac quæſt. Gonet *diſput. proœm. art.* 1. Juvenin. *Inſtitut. Theolog. Prolegomen. diſſert.* 3. *quæſt.* 1. *cap.* 1. Bancel. *quæſt.* 2. *art.* 3. Contenſon. *diſſert.* 1. *cap.* 2. *ſpeculatione* 2. Sylvius *ad quæſt.* 1. D. Thom. *art.* 2.

§. III.

Objectiones contrariæ.

IX. OBjiciunt 1. D. Thom. in 3. *diſt.* 33. *quæſt.* 1. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4 dicentem, *ſi autem eſſet aliqua ſcientia, quæ non poſſet reduci ad principia naturaliter cognita, non eſſet ejuſdem ſpeciei cum aliis ſcientiis, neque univoce ſcientia diceretur.* Sed Theologia non reſolvit ſuas concluſiones in principia naturaliter cognita, ut dictum eſt; ergo non eſt proprie, & univoce ſcientia.

Reſpondetur, explicando ultima verba D. Thomæ, neque univoce ſcientia diceretur per exceſſum ſuper alias ſcientias, conc. per defectum a vera ratione ſcientiæ, nego majorem. Et conceſſa minori nego conſequent. Eodem enim modo loquitur D. Thomas ibi de ſcientia ſupernaturali comparate ad ſcientias naturales, ſicut de virtutibus infuſis, de quibus ibi agit, comparate ad virtutes acquiſitas; ſicut ergo virtutes infuſæ veræ virtutes ſunt, licet non conveniant univoce, id eſt in eadem ratione cum virtutibus acquiſitis, quia excellentiores iſtis ſunt; & ita ſcientia ſupernaturalis erit vera ſcientia, licet non conveniat in eadem ratione, ſed altiori modo procedat, quam ſcientiæ mere naturales. Quod autem hæc ſit mens S. Doctoris indicant verba ejus ſequentia, addit enim; *Unde cum fines virtutum infuſarum non præexiſtant in ſeminariis naturalibus virtutum, ſed naturam humanam excedant; oportet, quod virtutes infuſæ, a virtutibus acquiſitis, quæ ab illis ſeminariis procedunt, differant ſpecie.* Hinc ergo ſequitur ſolum, Theologiam eſſe altiorem, & digniorem aliis ſcientiis naturalibus, quod oſtendit S. D. hac 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 5. cum propter certitudinem, *quia aliæ ſcientiæ certitudinem habent ex naturali lumine rationis humanæ, quæ poteſt errare, hæc autem certitudinem habet ex lumine divinæ ſcientiæ, quæ decipi non poteſt.* Tum propter dignitatem materiæ *quia eſt principaliter de his, quæ ſua altitudine rationem tranſcendunt.*

X. Objicies 2. habitus, qui de ſuo ſubjecto non poteſt facere veras demonſtrationes a priori, non eſt vere ſcientificus; ſed Theologia de ſuo ſubjecto, quod eſt Deus, non poteſt facere veras demonſtrationes a priori, ut enim docent D. Thom. 1. *contra g. cap.* 25. *ſicut Deus definiri non poteſt, quia omnis definitio eſt ex genere, & differentiis, ita non poteſt demonſtratio de ipſo fieri, niſi per effectum, quia principium demonſtrationis eſt definitio ejuſdem, de quo ſit demonſtratio.* Quod repetit hac 1. *part. quæſt.* 3. *art.* 5. *in corpore.*

Reſpondeo, diſtinguendo min. de ſuo objecto, quod eſt Deus, adæquate ſumpto, conc. min. inadæquate ſumpto, ſubdiſtinguo: demonſtrationem per verum, & reale medium, conc. minorem; per medium virtuale nego min. De Deo igitur adæquate ſumpto non poteſt fieri demonſtratio a priori, ſed ſolum per effectus, quia, ut ait Div. Thom. 1. *part. quæſt.* 3. *art.* 5. in argumento, ſed contra, *nihil eſt prius Deo, nec ſecundum rem, nec ſecundum intellectum.* Cognito tamen Deo per effectus, nihil prohibet, quin concipientes ipſum inadæquate, concipiamus in ipſo naturam, & eſſentiam, ut priorem virtualiter attributis, unum attributum, ut virtualiter prius alio, & ſic poſſimus aſſumere naturam Dei, non ut verum medium, ſed ut rationem a priori ad demonſtranda de Deo attributa, & unum attributum de alio, & tales ſunt demonſtrationes Theologicæ. Addo, hoc argumentum probare, neque Theologiam Beatorum fore ſcientiam; immo nec Deum habere ſcientiam de ſeipſo.

XI. Objiciunt 3. Fraſſen, aliique. Perfecta demonſtratio debet fieri nedum ex certa, ſed evidenti cognitione principiorum; ſed Theologus caret evidentia principiorum, ex quibus ſuas concluſiones deducat; ergo non facit perfectas demonſtrationes; ergo non eſt perfecte ſciens.

Urgent 1. Nullus, niſi ſtolidus, aut protervus diſſentire poteſt propoſitioni perfecte demonſtratæ: ſed concluſionibus Theologicis plures diſſentiunt, ut conſtat de hæreticis, & infidelibus, qui rident omnes rationes Theologicas, quibus Myſteria Fidei ſuadere nitimur; Ergo ſignum eſt, eas non eſſe perfecte demonſtratas.

XII. Urgent 2. Nulla adhæſio voluntaria eſt ſcientifica, ſcientia enim neceſſitat intellectum ad aſſentiendum, ut Logici docent, ſed Theologus voluntarie ſuſpendit aſſenſum ſuum, tam circa principia credita, ſeu articulos fidei (*credere enim eſt in poteſtate noſtra*, inquit, Auguſtin. *lib. de ſpiritu, & littera cap.* 31.) quam circa concluſionem ipſam; ergo talis aſſenſus non eſt ſcientificus.

XIII. Urgent 3. Ille non eſt perfecte ſciens, qui aſſentitur concluſioni magis propter auctoritatem, & veracitatem revelantis, quam propter legitimam illationem concluſionis ex præmiſſis; ſed Theologus experitur, ſe magis aſſentiri concluſioni ob infallibilem auctoritatem Dei dicentis, quam ob legitimam illationem ex præmiſſis; ergo &c. Minor probatur. Theologus firmius & tenacius adhæret concluſioni Theologicæ, quam cuilibet concluſioni Philoſophicæ, ſed hoc non eſt ob perfectiorem illationem ſyllogiſticam, quæ in utraque eſt æqualis: ergo eſt, quia firmius innititur auctoritati Dei revelantis præmiſſas concluſionis Theologicæ, quam lumini naturali manifeſtanti principia concluſionis Philoſophicæ; ergo magis aſſentitur ob auctoritatem, quam ob illationem.

XIV. Urgent 4. Notitia Theologica caret perfecto & præcipuo charactere ſcientiæ, nimirum evidentia; definitur enim, quod ſit cognitio certa & evidens; quia ſicut per certitudinem diſtinguitur ab opinione, ſic per evidentiam eſſentialiter diſcrepat a Fide, tum divina, tum humana. Immo certitudo naſcitur ex evidentia; ideo enim intellectus concluſioni firmum aſſenſum præbet, quia conſpicit, eam evidenter deduci ex principiis evidentibus, cum evidentia concluſionis oriatur ex evidentia principiorum, ſicut effectus a ſua cauſa; ergo notitia Theologica caret &c.

XV. Reſpondetur ad hæc omnia, quæ ſunt præcipuum Fraſſenii, & aliorum fundamentum, diſt. major. perfecta demonſtratio, perfectione, tum eſſentiali, tum accidentali, debet fieri &c. conc. major. Perfecta &c. perfectione pure eſſentiali: iterum diſtinguo: ſi ſit demonſtratio pure Philoſophica, tranſeat maj. ſi ſit demonſtatio Theologica, neg. maj. Dato ergo, quod ad eſſentiam demonſtrationis pure Philoſophicæ requiratur evidentia principiorum, quia ſine evidentia eorum non poteſt intellectus firmiter certificari de illis, ut dictum eſt: In demonſtratione tamen Theologica, evidentia requiritur quidem ad ejus accidentalem perfectionem, qualem habebit in beatis, non tamen ad ejus eſſentiam, quia auctoritas Dei revelantis illa principia facit, ut intellectus illis firmiter, immo firmius aſſentiatur, quam ſi illa videret: quia, ut ſupra dicebam cum D. Thom. 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 5. *in corp.* lumen rationis humanæ poteſt errare, lumen vero Divinæ Scientiæ decipi non poteſt. Quod repetit *art.* 8. *ad* 2.

XVI. Ad id, quod primo urgent, diſtinguo maj. nullus qui aſſentiatur præmiſſis, & cognoſcat connexionem earum cum concluſione, diſſentire poteſt &c. conc. maj. nullus, qui, vel non aſſentiatur præmiſſis, vel non penetret connexionem earum cum concluſione, diſſentire poteſt; nego maj. & ſimiliter ad min. Quod enim infidelis, aut hæreticus rideat rationes Theologicas, hoc ideo eſt, vel quia non vult aſſentiri præmiſſæ, ut a Deo revelatæ, vel quia non cognoſcit connexionem ejus cum concluſione. Cæterumqui aſſenſum præſtat præmiſſæ, & connexionem illius cum concluſine penetrat, concluſioni diſſentire nequit. *Nihil* autem *prohibet* (ait D. Thom. *art.* 5. *ad primum*) *id quod eſt certius ſecundum naturam, eſſe quoad nos minus certum debilitate intellectus noſtri . . . . Unde dubitatio, quæ accidit in aliquibus circa Articulos Fidei, non eſt propter incertitudinem rei, ſed propter debilitatem intellectus humani.*

XVII. Ad id, quod urgent ſecundo, neg. min. quoad ſecundam partem. Licet enim aſſenſus præmiſſis ſit voluntarius, ſuppoſito tamen, quod Theologus dederit aſſenſum præmiſſis,